M. LEPIDVS, IMP. ITERVM, PONT. MAX. S. P. PL. Q. R.

S I uos, liberiq; uestri ualetis, bene est: ego quoque ualeo. Deos, hominesq; testor P.C. qua mente, & quo animo semper in remp. fuerim, & quàm nihil antiquius communi salute, ac libertate iudicarim. quod uobis breui probassem, nisi mihi fortuna proprium consilium extorsisset: nam exercitus cunctus consuetudinem suam in ciuibus conseruandis, communiq; pace, seditione facta, retinuit; meq; tantæ multitudinis ciuium Romanorum salutis, atque incolumitatis causam suscipere, ut uere dicam, coegit. in qua re ego uos P.C. oro, atque obsecro, ut priuatis offensionibus omissis, summæ reip. consulatis; ne'ue miseri cordiam nostram, exercitusq; nostri in ciuili dissensione sceleris loco ponatis. quòd si salutis omnium, ac dignitatis rationem habueritis; melius & uobis, & reip. consuletis. Data IIII. cal. Iun. à Ponte Argenteo. Valete.

M. LEPIDVS, IMP. ITERVM, PONT. MAX. M. CICERONI S. P. D.

S I uales, bene est: ego quoque ualeo. Cum audissem, Antonium cum suis copijs, præmisso L. Antonio cum parte equitatus, in prouinciam meam uenire; cum exercitu meo à cõfluente Rhodano castra moui, ac contra eos uenire instituí. itaque continuis itineribus ad Forum Vocontium ueni, & ultra castra ad flumen Argenteum contra Antonios feci.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

P. Ventidius ſuas legiones treis coniunxit cum eo, & ultra me caſtra poſuit. habebat antea legionem ſecundam, & ex reliquis legionibus magnam multitudinẽ, ſed inermium. equitatum habet magnum: nam omnis ex prælio integer diſceſſit, ita ut ſint amplius equitum XXX. itaque ad me complures milites, & equites ab eo tranſierunt: & in dies ſingulos eius copiæ minuuntur. Silanus, & Culeo ab eo diſceſſerunt. nos, etſi grauiter ab his læſi eramus, quòd contra noſtram uoluntatem ad Antonium ierant: tamen, noſtræ humanitatis, & neceſſitudinis cauſa, eorum ſalutis rationem habuimus. nec tamen eorum opera utimur; neque in caſtris habemus; neque ulli negotio præfecimus. quod ad bellum hoc attinet, nec ſenatui, nec reip. deerimus. quæ poſtea egerimus, faciam te certiorem. Etſi omni tempore ſumma ſtudia, officiaq; mutuo inter nos certatim conſtiterunt pro noſtra inter nos familiaritate, & proinde diligenter ab utroque conſeruata ſunt: tamen non dubito, in tanto, & tam repentino motu reip. quin nonnulla de me falſis rumoribus à meis obtrectatoribus me indigna ad te delata ſint, quæ tuum animum magnopere mouerent pro tuo amore in remp. ea te moderate accepiſſe, neque temere credendum iudicaſſe, à meis procuratoribus certior ſum factus: quæ mihi, ut debent, gratiſſima ſunt. memini autem & illa ſuperiora, quæ abs tua uoluntate profecta ſunt ad meam dignitatem augendam, & ornandam: quæ perpetuo animo meo fixa manebunt. abs te mi Cicero magnopere peto, ſi meam uitam, ſtudium diligentiſſime ſuperioribus temporibus in rep. adminiſtranda, quæ

Lepido digna sunt, perspecta habes, ut patria, aut eo ampliora reliquo tempore expectes, & proinde tua auctoritate me tuendum existimes, quo tibi plura tuo merito debeo. Vale. XII cal. Iun. ex castris, ex Ponte Argenteo.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM, AD BRVTVM, ET ALIOS, LIBER XI.

D. BRVTVS M. BRVTO, ET C. CASSIO S. D.

QVo in statu simus, cognoscite. Heri uesperi apud me Hirtius fuit. qua mente esset Antonius, demonstrauit, pessima scilicet, & infidelissima: nam se neque mihi prouinciam dare posse aiebat, neque arbitrari, tuto in urbe esse quẽquam nostrũ: adeo esse militum concitatos animos, & plebis. quod utrunque esse falsum, puto uos animaduertere; atque illud esse uerum, quod Hirtius demonstrabat, timere eum, ne, si mediocre auxilium dignitatis nostræ habuissemus, nullæ partes ijs in rep. relinquerẽtur. cum in his angustijs uersarer, placitum est mihi, ut postularem legationem liberam mihi, reliquisq; nostris, ut ali qua causa proficiscendi honesta quæreretur. hoc se impetraturum pollicitus est: nec tamen impetraturum confido: tanta est hominum insolentia, & nostri insectatio. ac si dederint, quod petimus; tamen paulo post futu-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

rum puto, ut hoſtes iudicemur, aut aqua, et igni nobis interdicatur. Quid ergo eſt, inquis, tui conſilij? Dãdus eſt locus fortunæ. cedendũ ex Italia, migrandum Rhodum, aut aliquò terrarum arbitror. ſi melior caſus fuerit, reuertemur Romã; ſi mediocris, in exilio uiuemus; ſi peſſimus, ad nouiſſima auxilia deſcendemus. ſuccurret fortaſſe hoc loco alicui ueſtrum, cur nouiſſimũ tempus expectemus potius, quàm nunc aliquid moliamur. quia, ubi conſiſtamus, non habemus, præter Sex. Pompeium, et Baſſum Cæciliũ: qui mihi uidentur hoc nuncio de Cæſare allato firmiores futuri. ſatis in tempore ad eos accedemus, ubi, quid ualeant, ſcierimus. pro Caſſio, & te, ſi quid uelitis me recipere, recipiam: poſtulat enim hoc Hirtius, ut faciam. rogo uos, quamprimum mihi reſcribatis: nam non dubito, quin de his rebus ante horam quartam Hirtius me certiorẽ ſit facturus. quem in locum conuenire poſſimus, quò me uelitis uenire, reſcribite. Poſt nouiſſimum Hirtij ſermonem, placitũ eſt mihi poſtulare, ut liceret nobis eſſe Romæ publico præſidio: quod illos nobis conceſſuros non puto: magnã enim inuidiam ijs faceremus. nihil tamen non poſtulandum putaui, quod æquum eſſe ſtatuerẽ. Valete.

M. BRVTVS, ET C. CASSIVS PRAETT. M. ANTONIO CONS. S. P. D.

D E tua fide, & beneuolentia in nos niſi perſuaſum eſſet nobis, non conſcripſiſſemus hæc tibi: quæ profecto, quando iſtum animum habes, in optimam partem accipies. Scribitur nobis, ma-

gnam ueteranorum multitudinem Romam conueniſſe iam, & ad cal. Iun. futuram multo maiorem. de teſi dubitemus, aut uereamur; ſimus noſtri diſſimiles. ſed certe cum ipſi in tua poteſtate fuerimus; tuoq; adducti conſilio dimiſerimus ex municipijs noſtros neceſſarios; neque ſolum edicto, ſed etiam literis id fecerimus: digni ſumus, quos habeas tui conſilij participes, in ea præſertim re, quæ ad nos pertinet. quare petimus à te, facias nos certiores tuæ uoluntatis in nos: putesne nos tutos fore in tanta frequentia ueteranorum, quos etiam de reponenda ara cogitare audimus: quod uelle te, probare uix quiſquam poſſe uidetur, qui nos ſaluos, & honeſtos uelit. nos ab initio ſpectaſſe otium, nec quidquam aliud à libertate communi quæſiſſe, exitus declarat. fallere nemo nos poteſt, niſi tu: quod certe abeſt à uirtute tua, & fide. ſed alius nemo facultatem habet decipiendi nos: tibi enim uni credidimus, & crediturí ſumus. maximo de nobis timore afficiuntur amici noſtri. quibus etſi tua fides explorata eſt; tamen illud in mentem uenit, multitudinem ueteranorum facilius impelli ab alio quolibet, quàm à te retineri poſſe. reſcribas nobis ad omnia, rogamus. nam illud ualde leue eſt, ac nugatorium, ea re denunciatum eſſe ueteranis, quòd de commodis eorum menſe Iunio laturus eſſes: quem enim impedimento futurum putas, cum de nobis certum ſit, nos quieturos? non debemus cuiquam uideri nimium uitæ cupidi, cum accidere nobis nihil poſſit ſine pernicie, & confuſione omnium rerum.

Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

BRVTVS, ET CASSIVS PRAETT.
ANTONIO CONS. S. D.

LIteras tuas legimus, simillimas edicti tui, contumelioſas, minaces, minime dignas, quæ à te nobis mitterentur. nos Antoni te nulla laceſſiuimus iniuria, neque miraturum credidimus, ſi prætores, & ea dignitate homines, aliquid edicto poſtulaſſemus à conſule. quòd ſi indignaris, auſos eſſe id facere; concede nobis, ut doleamus, ne hoc quidem abs te Bruto, & Caſſio tribui. nam de delectibus habitis, & pecunijs imperatis, exercitibus ſolicitatis, & nuncijs trans mare miſſis quòd te queſtum eſſe negas: nos tibi quidem credimus, optimo animo te feciſſe: ſed tamen neque agnoſcimus quidquam eorum; & te miramur, cum hæc reticueris, non potuiſſe continere iracundiam tuam, quin nobis de morte Cæſaris obijceres. illud uero quemadmodum ferendum ſit, tute cogita; non licere prætoribus concordiæ, ac libertatis cauſa, per edictum de ſuo iure decedere, quin conſul arma minetur. quorum fiducia, nihil eſt, quod nos terreas: neque enim decet, aut conuenit nobis, periculo ulli ſubmittere animum noſtrum: neque eſt Antonio poſtulandum, ut ijs imperet, quorum opera liber eſt. nos ſi alia hortarentur, ut bellum ciuile ſuſcitare uellemus; literæ tuæ nihil proficerent: NVLLA enim minantis auctoritas apud liberos eſt. ſed pulchre intelligis, non poſſe nos quoquam impelli: & fortaſſis ea re minaciter agis, ut iudicium noſtrum metus uideatur. nos in hac ſententia ſumus, ut te cupiamus etiam in libera rep. magnum, atque

honeſtum eſſe: uocemus te ad nullas inimicitias, ſed tamen pluris noſtram libertatem, quàm tuam amicitiam æſtimemus. tu etiam atque etiam uide, quid ſuſcipias, quid ſuſtinere poſſis: neque, quandiu uixerit Cæſar, ſed quàm non diu regnarit, fac cogites. Deos quæſumus, conſilia tua reip. ſalutaria ſint, ac tibi: ſi minus, ut ſalua, atque honeſta rep. tibi quamminimum noceant, optamus. Pridie non. Sex.

D. BRVTVS IMP. M. CICERONI S.

I de tua in me uoluntate dubitarem, multis
S à te uerbis peterem, ut dignitatẽ meam tuerere: ſed profecto eſt ita, ut mihi perſuaſi, me tibi eſſe curæ. Progreſſus ſum ad inalpinos cum exercitu, non tam nomen captans imperatorium, quàm cupiens militibus ſatisfacere, firmoſq; eos ad tuendas noſtras res efficere: quod mihi uideor conſecutus: nam & liberalitatem noſtram, & animum ſunt experti. cum omnium bellicoſiſſimis bellum geſſi. multa caſtella cepi, multa uaſtaui. non ſine cauſa ad ſenatum literas miſi. adiuua nos tua ſententia. quod cum facies, ex magna parte communi commodo inſeruieris. Vale.

M. CICERO D. BRVTO IMP. S.

Vpus, familiaris noſter, cũ à te ueniſſet, ũcq;
L Romæ quoſ[illegible] dies commoraretur; ego eram in ijs locis, in q[illegible] uibus maxime me tuto eſſe arbitrabar. eo factum eſt, ut ad te Lupus ſine meis literis

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

rediret, cum tamen curasset tuas ad me perferendas. Romā autem ueni ad V. id. Dec. nec habui quidquam antiquius, quàm ut Pansam statim conuenirem: ex quo ea de te cognoui, quæ maxime optabam. quare hortatione tu quidem non eges, si ne illa quidem in re, quæ à te gesta est post hominum memoriam maxima, hortatorem desideraſti: illud tamen breuiter significandum uidetur, populum R. omnia à te expectare, atque in te aliquando recuperandæ libertatis omnem spem ponere. tu, si dies, noctesq; memineris (quod te facere certo scio) quantam rem gesseris; non obliuiscere profecto, quantæ tibi etiam nunc gerendæ sint: si enim iste prouinciam nactus erit, cui quidem ego semper amicus fui ante, quàm illum intellexi non modo aperte, sed etiam libenter cum rep. bellum gerere; spem reliquam nullam uideo salutis. quamobrē te obsecro ijsdem precibus, quibus senatus populusq; R. ut in perpetuum remp. dominatu regio liberes: ut principijs consentiant exitus. tuum est hoc munus, tuæ partes. à te hoc ciuitas, uel omnes potius gentes non expectant solum, sed etiam postulant. quanquam, cū hortatione non egeas, ut supra scripsi, non utar ea pluribus uerbis: faciam illud, quod meum est, ut tibi omnia mea officia, studia, curas, cogitationes pollicear, quæ ad tuam laudē, et gloriam pertinebunt. quamobrem uelim, tibi ita persuadeas, me tum reip. causa, quæ mihi uita mea carior est; tum quòd tibi ipsi faueam, tuamq; dignitatem amplificari uelim, tuis optimis consilijs, amplitudini, gloriæ nullo loco defuturum. Vale.

M. CICERO D. BRVTO IMP. S.

L Vpus noſter, cum Romam ſexto die Mutina ueniſſet, poſtridie me mane conuenit, tuáq; mihi mandata diligentiſſime expoſuit, & literas reddidit. Quòd mihi tuam dignitatem commendas: eodem tempore exiſtimo, te mihi meam dignitatem commendare: quam mehercule non habeo tua cariorem. quare mihi gratiſſimum facies, ſi exploratum habebis, tuis laudibus nullo loco nec conſilium, nec ſtudium meum defuturum. Cum tribuni pl. edixiſſent, ſenatus adeſſet ad XIII cal. Ian. haberentq; in animo de præſidio conſulum deſs. referre: quanquam ſtatueram, in ſenatum ante Cal. Ian. non uenire; tamen cum eo die ipſo edictum tuum propoſitum eſſet, nefas eſſe duxi, aut ita haberi ſenatum, ut de tuis diuinis in remp. meritis ſileretur, (quod factum eſſet, niſi ego ueniſſem) aut, etiam ſi quid honorifice de te diceretur, me non adeſſe. itaque in ſenatum ueni mane. quod cum eſſet animaduerſum, frequentiſſimi ſenatores conuenerunt. quæ de te in ſenatu egerim, quæ in concione maxima dixerim, aliorum te literis malo cognoſcere. illud tibi perſuadeas uelim, me omnia, quæ ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quæ eſt per ſe ampliſſima, ſummo ſemper ſtudio ſuſcepturum, & defenſurum. quod quanquam intelligo me cum multis eſſe facturum, tamen appetam huius rei principatum. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CICERO D. BRVTO IMP. S.

Vm adhibuisset domi meæ Lupus me, & Libonem, et Seruium, consobrinum tuum; quæ mea fuerit sententia, cognosse te ex Cn. Seio arbitror, qui nostro sermoni interfuit. reliqua, quanquam statim Seium Græceius est subsecutus, tamen ex Græceio poteris cognoscere. caput autem est hoc, quod te diligentissime percipere, & meminisse uelim, ut ne in libertate, & salute populi R. conseruanda auctoritatem senatus expectes nondum liberi; ne & tuum factum condemnes, (nullo enim publico consilio remp. liberasti: quo est etiam res illa maior, & clarior) & adolescentem, uel puerum potius Cæsarem iudices temere fecisse, qui tantam causam publicam priuato consilio susceperit; denique homines rusticos, sed fortissimos uiros, ciuesq; optimos, dementes fuisse iudices, primum milites ueteranos, commilitones tuos, deinde legionem Martiam, legionem quartam, quæ suum consulem hostem iudicauerunt, seq; ad salutem reip. defendendam contulerunt. uoluntas senatus pro auctoritate haberi debet, cum auctoritas impeditur metu. postremo susceptа tibi causa iam bis est, ut non sit integrum; primum idibus Mart. deinde proxime, exercitu nouo, & copijs comparatis. quamobrem ad omnia ita paratus, atque animatus esse debes, non ut nihil facias, nisi iussus; sed ut ea geras, quæ ab omnibus summa cum admiratione laudentur. Vale.

M. CICERO D. BRVTO IMP. S.

EO tempore Polla tua misit, ut ad te, si quid uellem, darem literarum, cum, quid scriberem, nō habebam: omnia enim erant suspensa propter expectationem legatorum. qui quid egissent, nihil dum nunciabatur. hæc tamen scribenda existimaui: primum, senatum populumq; R. de te laborare non solum salutis suæ causa, sed etiam dignitatis tuæ: admirabilis est enim quædam tui nominis caritas, amorq; in te singularis omnium ciuium: ita enim sperant, atque confidunt, ut antea rege, sic hoc tempore regno te remp. liberaturum. Romæ delectus habetur, totaq; Italia: si hic delectus appellandus est, cum ultro se offerunt omnes: tantus ardor animos hominum occupauit desiderio libertatis, odioq; diutinæ seruitutis. De reliquis rebus à te iam expectare literas debemus, quid ipse agas, quid noster Hirtius, quid Cæsar meus: quos spero breui tempore societate uictoriæ tecum copulatos fore. Reliquum est, ut de me id scribam, quod te ex tuorum literis & spero, & malo cognoscere; me neque deesse ulla in re, neque unquam defuturum dignitati tuæ. Fac ualeas.

D. BRVTVS M. CICERONI S. D.

PANSA amisso, quantum detrimenti resp. acceperit, non te præterit. nunc auctoritate, & prudentia tua prospicias oportet, ne inimici nostri, consulibus sublatis, sperent se conualescere posse. ego, ne consistere possit in Italia Antonius, dabo operā.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

confeſtim. utrunque me præſtaturum ſpero, ne aut Ventidius elabatur, aut Antonius in Italia moretur. in primis rogo te, ad hominem uentoſiſſimum, Lepidum mittas, ne bellum nobis redintegrare poſſit, Antonio ſibi coniuncto. nam de Pollione Aſinio, puto te perſpicere, quid ſit facturus. multæ, & bonæ, & firmæ ſunt legiones Lepidi, & Aſinij. neque hæc iccirco tibi ſcribo, quo'd te non eadem animaduertere ſciam, ſed quo'd mihi perſuaſiſſimum eſt, Lepidum recte facturum nunquam, ſi forte uobis id de hoc dubium eſt. Plancum quoque confirmetis, oro: quem ſpero pulſo Antonio reip. non defuturum. ſi ſe Alpeis Antonius traiecerit, conſtitui præſidium in Alpibus collocare, & te de omni re facere certiorem. IIII. cal. Maij, ex caſtris, Rhegij.

D. BRVTVS M. CICERONI S. D.

NOn mihi remp. plus debere arbitror, quàm me tibi. gratiorem me eſſe in te poſſe, quàm iſti peruerſi ſint in me, exploratum habes: ſi tamen hæc temporis uideantur dici cauſa, malle me tuum iudicium, quàm ex altera parte omniũ iſtorum: tu enim à certo ſenſu, & uero iudicas de nobis: quod iſti ne faciant, ſumma maleuolentia, & liuore impediuntur. interpellent me, quo minus honoratus ſim; dum ne interpellent, quo minus reſp. à me commode adminiſtrari poſſit. quæ quanto ſit in periculo, quàm potero breuiſſime exponam. Primum omnium, quantam perturbationem rerum urbanarum afferat obitus conſulum, quantamq; cupiditatem hominibus iniiciat uacuitas, non te fugit. ſatis me multa ſcripſiſſe,

quæ literis commendari possint, arbitror: scio enim, cui scribam. reuertor nunc ad Antonium. qui ex fuga cum paruulam manum peditum haberet inermium; ergastula soluendo, omnéq; genus hominum arripiendo, satis magnum numerũ uidetur effeciſſe. huc accessit manus Ventidij: quæ trans Appẽninum itinere facto difficillimo, ad Vada peruenit, atque se ibi cum Antonio coniunxit. est numerus ueteranorum, & armatorum satis frequens cum Ventidio. consilia Antonij hæc sint, necesse est, aut ad Lepidum ut se conferat, si recipitur: aut Appennino, Alpibusq; se teneat; & decursionibus per equites, quos habet multos, uastet ea loca, in quæ incurrerit: aut rursus se in Etruriam referat, quòd ea pars Italiæ sine exercitu est. quòd si me Cæsar audisset, atque Appẽninum transisset: in tantas angustias Antonium compulissem, ut inopia potius, quàm ferro, cõficeretur. sed neque Cæsari imperari potest: nec Cæsar exercitui suo. quod utrunque pessimum est. cum hæc talia sint: quo minus, quod ad me pertinebit, homines interpellent, ut supra scripsi, non impedio: hæc quemadmodum explicari possint, aut, à te cum explicabuntur, ne impediantur, timeo. alere iam milites non possum. cum ad remp. liberandam accessi, HS mihi fuit pecuniæ CCCC amplius. tantum abest, ut meæ rei familiaris liberum sit quidquam, ut meos iam omnes amicos ære alieno obstrinxerim. septenum numerum legionum alo; qua difficultate, tu arbitrare. non, si Varronis thesauros haberem, sustinere sumptum possem. cum primum de Antonio exploratum habuero, faciam te certiorem. Tu me amabis, ita, si hoc idem me in te fa-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

cere ſenſeris. III non. Maij, ex caſtris, Dertone. Vale.

D. BRVTVS, IMP. CONS. DES. M. CICERONI S. D.

EOdem exemplo literæ à te mihi redditæ ſunt, quo pueri mei attulerunt. Tantum me tibi debere exiſtimo, quantum perſoluere difficile eſt. Scripſi tibi; quæ hic gererentur. in itinere eſt Antonius: ad Lepidum proficiſcitur: ne de Planco quidem ſpem adhuc abiecit, ut ex libellis eius animaduerti, qui in me inciderunt. in quibus, quos ad Aſinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, ſcribebat. ego tamen non habui ambiguum, & ſtatim ad Plancum miſi: & biduo ab Allobrogibus, & totius Galliæ legatos expecto, quos confirmatos domum remittam. Tu, quæ iſthic opus erunt adminiſtrari, proſpicies, ut ex tua uoluntate, reiq; pub. commodo fiant. maleuolentiæ hominum in me, ſi poteris, occurres: ſi non poteris, hoc te conſolabere, quòd me de ſtatu meo nullis cõtumelijs deterrere poſſunt. Pridie non. Maij, ex caſtris, finibus Statiellenſium.

M. CICERO D. BRVTO, IMP. CONS. DES. S. D.

TRes uno die à te accepi epiſtolas: unam breuẽ quam Flacco Volumnio dederas; duas pleniores, quarum alteram tabellarius T. Vibij attulit, alterã ad me miſit Lupus. ex tuis literis, et ex Græceij oratione non modo non reſtinctũ bellum, ſed etiam inflammatum uidetur. non dubito autem pro tua ſin-

gulari prudentia, quin perſpicias, ſi aliquid firmitatis nactus ſit Antonius, omnia illa tua præclara in remp. merita ad nihilum eſſe uentura: ita enim Romam erat nunciatum, ita perſuaſum omnibus, cum paucis inermibus, perterritis metu, fracto animo fugiſſe Antoniũ. qui ſi ita ſe habet, ut, quemadmodum audiebã de Græceio, confligi cum eo ſine periculo non poſſit: non ille mihi fugiſſe à Mutina uidetur, ſed locum belli gerendi mutaſſe. itaque homines alij fracti ſunt, nonnulli etiam queruntur, quòd perſecuti non ſitis. opprimi potuiſſe, ſi celeritas adhibita eſſet, exiſtimant. omnino EST hoc populi, maximeq; noſtri, in eo potiſſimum abuti libertate, per quem eam conſecutus ſit. ſed tamen prouidendum eſt, ne qua iuſta querela eſſe poſſit. res ſic ſe habet. is bellum confecerit, qui Antonium oppreſſerit. hoc quam habeat uim, te exiſtimare malo, quàm me apertius ſcribere. Vale.

D. BRVTVS, IMP. CONS. DES. M. CICERONI S.

I Am non ago tibi gratias: cui enim re uix referre poſſum, huic uerbis non patitur res ſatisfieri. Attendere te uolo, quæ in manibus ſunt: qua enim prudentia es, nihil te fugiet, ſi meas literas diligenter legeris. ſequi confeſtim Antonium his de cauſis Cicero non potui. eram ſine equitibus, ſine iumentis. Hirtium periiſſe neſciebam. Cæſari non credebam prius, quàm conueniſſem, & collocutus eſſem. hic dies hoc modo abijt. poſtridie mane à Panſa ſum accerſitus Bononiam. cum in itinere eſſem, nunciatum

mihi

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

mihi est, cum mortuum esse. recurri ad meas copiolas: sic enim uere eas appellare possum. sunt extenuatissimæ, & inopia omnium rerum pessime acceptæ. biduo me Antonius anteceſſit, itinere multo maiore fugiens, quàm ego sequens: ille enim ijt passim, ego ordinatim. quacunque iuit, ergastula soluit, homines arripuit. constitit nusquá prius, quàm ad Vada uenit: quem locum uolo tibi esse notum. iacet inter Appenninum, & Alpes, impeditissimus ad iter faciendum. cum abessem ab eo millia passuum triginta, & se iam Ventidio coniunxisset; concio eius ad me est allata; in qua petere cœpit à militibus, ut se trans Alpes sequerentur: sibi cũ M. Lepido conuenire. succlamatum est, & frequenter à militibus Ventidianis, (nam suos ualdequam paucos habet) sibi aut in Italia pereundum esse, aut uincendum. etiam orare cœperunt, ut Pollentiam iter facerent. cũ sustinere eos non posset, in posterum diem iter suum contulit. hac re mihi nunciata, statim quinque cohortes Pollentiá præmisi, meumq; iter eò contuli. hora ante præsidium meum Pollentiam uenit, quàm Trebellius cum equitibus. sanequam sum gauisus: in hoc enim uictoriam puto consistere. in spem uenerãt, quòd neque Planci quatuor legiones omnibus suis copijs pares arbitrabantur: neque ex Italia tam celeriter exercitum traijci posse credebant. quos ipsi adhuc satis arroganter Allobroges, equitatusq; omnis, qui eò præmissus erat à nobis, sustinebant; nostroq; aduentu sustineri facilius posse confidimus. tamen si quo etiam casu Isaram se traiecerint; ne quid detrimenti reip. iniungãt, summa à nobis dabitur opera. uos magnum animum, opti-

UNIVERSIDAD DE HUELVA

mamq; ſpem de ſumma rep. habere uolumus, cum & nos, & exercitus noſtros ſingulari concordia coniunctos, ad omnia pro uobis uideatis paratos. ſed tamen nihil de diligentia remittere debetis, dareq; operam, ut quamparatiſſimi ab exercitu, reliquisq; rebus pro ueſtra ſalute contra ſceleratiſſimam conſpirationem hoſtium confligamus. qui quidem eas copias, quas diu ſimulatione reip. compararant, ſubito ad patriæ periculum conuerterunt.

M. CICERO D. BRVTO IMP. S. D.

M Irabiliter mi Brute lætor, mea conſilia, measq; ſententias à te probari de decemuiris, de adornando adoleſcente. ſed quid refert? mihi crede, homini non glorioſo, plane iã Brute frigeo: ὄργανον enim erat meum ſenatus: id eſt iam diſſolutum. tantã ſpem attulerat exploratæ uictoriæ tua præclara Mutina eruptio, fuga Antonij conciſo exercitu, ut omnium animi relaxati ſint, meæq; illæ uehementes contẽtiones tanquam σκιαμαχίαι eſſe uideantur. ſed ut ad rem redeam: legionem Martiam, & quartam negant, qui illas norunt:, ulla conditione ad te poſſe perduci. Pecuniæ, quàm deſideras, ratio poteſt haberi, eaq; habebitur. De Bruto accerſendo, Cæſareq; ad Italiæ præſidium tenendo, ualde tibi aſſentior: ſed, ut ſcribis, habes obtrectatores: quos equidem facillime ſuſtineo, ſed impediunt tamen. ex Africa legiones expectantur: ſed bellum iſthic renatũ homines mirantur. nihil tam præter ſpem unquam: nam die tuo natali uictoria nunciata, in multa ſecula uidebamus remp. liberatam. noui

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

timores retexunt superiora. scripsisti autem ad me ijs, quas idib. Maij dedisti, modo te accepisse à Planco literas, non recipi à Lepido Antonium. id si ita est, omnia faciliora: sin aliter, magnum negotium: cuius exitũ ne extimescam, tuæ partes sunt. ego plus, quàm feci, facere non possum. te tamen, id quod spero, omnium maximum, & clarissimum uidere cupio. Vale.

M. CICERO D. BRVTO IMP. S. D.

Etsi mihi tuæ literæ iucundissimæ sunt: tamẽ iucundius fuit, quòd in summa occupatione tua Plãco collegæ mandasti, ut te mihi per literas excusaret. quod fecit ille diligenter. mihi autem nihil amabilius officio tuo, et diligentia. Cõiunctio tua cum collega, concordiaq; uestra, quæ literis cõmunibus declarata est, senatui, populoq; R. gratissima accidit. quod superest, perge mi Brute, & iam non cũ alijs, sed tecum ipse certa. plura scribere nõ debeo, præsertim ad te, quo magistro breuitatis uti cogito. Literas tuas uehementer expecto, et quidem tales, quales maxime opto.

M. CICERO D. BRVTO IMP. S. D.

Permagni interest, quo tibi hæc tẽpore epistola reddita sit; utrum cum solicitudinis aliquid haberes; an cũ ab omni molestia uacuus esses. itaque ei præcepi, quem ad te misi, ut tempus obseruaret epistolæ tibi reddendæ. nã quemadmodum coram, qui ad nos intempestiue adeunt, molesti sæpe sunt: sic epistolæ offendunt, non loco redditæ. si autem, ut spero, nihil te perturbat, nihil impedit; & ille, cui mãda-

ui, satis scite, & commode tempus ad te cepit adeundi: confido me, quod uelim, à te facile impetraturum. L. Lamia præturam petit. hoc ego utor uno omnium plurimum. magna uetustas, magna consuetudo intercedit: quodq; plurimum ualet, nihil mihi eius est familiaritate iucundius. magno præterea beneficio eius, magnoq; merito sum obligatus: nam Clodianis téporibus, cum equestris ordinis princeps esset, proq; mea salute acerrime propugnaret, à Gabinio consule relegatus est: quod ante id tempus ciui Romano Romæ contigit nemini. hoc cum populus R. meminerit, me ipsum non meminisse turpissimum est. quapropter persuade tibi mi Brute, me petere præturam. quanquam enim Lamia summo splendore, summa gratia est, usus magnificentissimo munere ædilicio: tamen, quasi ea ita non essent, ego suscepi totum negotium. nunc si me tanti facis, quanti certe facis; quando equitum centurias tenes, in quibus regnas, mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat. non tenebo te pluribus. ponam in extremo, quod sentio. nihil est Brute, cum omnia à te expectem, quod mihi gratius facere possis. Vale.

M. CICERO D. BRVTO IMP. S. D.

L Amia uno omnium familiarissime utor. magna eius in me, non dico officia, sed merita, eaq; sunt populo R. notissima. is, magnificentissimo munere ædilitatis perfunctus, petit præturam: omnesq; intelligunt, nec dignitatem ei deesse, nec gratiam. sed is ambitus extare uidetur, ut ego omnia pertimescam, totamq; petitionem Lamiæ mihi sustinendam

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

putem. in eare quantum me possis adiuuare, facile perspicio: nec uero, quantum mea causa uelis, dubito. uelim igitur mi Brute tibi persuadeas, nihil me maiore studio à te petere, nihil te mihi gratius facere posse, quàm si omnibus tuis opibus, omni studio Lamiã in petitione iuueris. quod ut facias, uehemẽter te rogo. Vale.

M. CICERO D. BRVTO IMP. S. D.

ET si ex mandatis, quæ Galbæ, Volumnioq; ad senatum dedisti, quid timendum, suspicandumq; putares, suspicabamur: tamen timidiora mãdata uidebantur, quàm erat dignum tua, populiq; R. uictoria. senatus autem mi Brute fortis est, & habet fortes duces. itaque moleste ferebat, se à te, quem omnium, quicunque fuissent, fortissimum iudicaret, timidum, atque ignauum iudicari. etenim cum, te incluso, spem maximã omnes habuissent in tua uirtute, florente Antonio: quis erat, qui quidquam timeret, profligato illo, te liberato? nec uero Lepidum timebamus: quis enim esset, qui illum tam furiosum arbitraretur, ut, qui in maximo bello pacem uelle se dixisset, is in optatissima pace bellum reip. indiceret? nec dubito, quin tu plus prouideas. sed tamen tam recenti gratulatione, quam tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus, renouatio timoris magnam molestiam affebat. quare uelim equidem, id quod spero, ut plane abiectus, & fractus sit Antonius. sin aliquid uirium forte collegerit: sentiet, nec senatui consilium, nec populo R. uirtutem deesse, nec reip. te uiuo imperatorem. XIIII cal. Iun. Vale.

Universidad de Huelva 2010

D. BRVTVS M. CICERONI S. D.

A Dſenatū quas literas miſi, uelim, priusperlegas: & ſi qua tibi uidebuntur, commutes. neceſſario me ſcripſiſſe, ipſe animaduertes: nam cum putarem quartam & Martiam legiones mecum futuras, ut Druſo, Pauloq; placuerat, uobis aſſentientibus; minus de reliquis rebus laborādum exiſtimaui: nunc uero cum ſim cum tironibus egentiſſimis; ualde & meam, & ueſtrā uicem timeam, neceſſe eſt. Vecetini me, & M. Brutum præcipue obſeruant. his ne quam patiare iniuriā fieri in ſenatu uernarum cauſa, à te peto. cauſam habent optimam, officium in remp. ſummum, genus hominum aduerſariorum ſeditioſum, & inertiſſimum. XII cal. Iun. Vercellis.

D. BRVTVS IMP. M. CICERONI S. D.

Q Vod pro me non facio, id pro te facere meus in te amor, tuaq; officia cogunt, ut timeam: ſæpe enim mihi cū eſſet dictum, neque à me contemptum, nouiſſime Labeo Segulius, homo ſui ſimillimus, narrauit mihi, apud Cæſarē ſe fuiſſe, multumq; ſermonem de te habitum eſſe: ipſum Cæſarem nihil ſane de te queſtum, niſi dictum, quòd diceret te dixiſſe laudandum adoleſcentem, ornandum, tollendum; ſe non eſſe cōmiſſurum, ut tolli poſſit. hoc ego Labeonem credo illi retuliſſe, aut finxiſſe dictum, non ab adoleſcente prolatum. ueteranos uero peſſime loqui, uolebat Labeo me credere, & tibi ab ijs inſtare periculum, maximeq; indignari, quòd in decemuiris neque Cæſar, neque

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ego habiti eſſemus, atque omnia ad ueſtrum arbitrium eſſent collata. hæc cum audiſſem, & iam in itinere eſſem, committendum non putaui, prius ut Alpes tranſgrederer, quàm, quid iſthic ageretur, ſcirem. nam de tuo periculo, crede mihi, iactatione uerborum, & denunciatione periculi ſperare eos, te perterrefacto, adoleſcente impulſo, poſſe magna conſequi præmia; & totam iſtam cantilenam ex hoc pendere, ut quampluriſmum lucrifaciant. neque tamen non te cautum eſſe uolo, & inſidias uitantem: nihil enim tua mihi uita poteſt eſſe iucundius, neque carius. illud uide, ne timendo, magis timere cogare: & quibus rebus poteſt occurri ueteranis, occurras: primum quod deſiderant de decemuiris, facias: deinde de præmijs, ſi tibi uidetur, agros militum eorum, qui cum Antonio ueterani fuerunt, his dandos cenſeas ab utriſque noſtrum: de nummis, lente, ac ratione habita pecuniæ: ſenatum de ea re conſtituturum. quatuor legionibus ijs, quibus agros dandos cenſuiſtis, uideo facultatem fore ex agris Syllanis, & agro Campano. æqualiter, aut ſorte agros legionibus aſſignari puto oportere. hæc me tibi ſcribere non prudentia mea hortatur, ſed amor in te, & cupiditas otij, quod ſine te conſiſtere non poteſt. Ego, niſi ualde neceſſe fuerit, ex Italia non excedam. legiones armo, paro: ſpero me non peſſimum exercitum habiturũ ad omnes caſus, & impetus hominum. de exercitu, quem Panſa habuit, legionem mihi Cæſar non remittit. ad has literas ſtatim mihi reſcribe, tuorumq; aliquem mitte, ſi quid reconditum magis erit, meq; ſcire opus eſſe putaris. Vale. V II cal. Iun. Eporædia.

M. CICERO D. BRVTO IMP. S.

Ii iſti Segulio male faciant, homini nequiſſi-
D mo omnium, qui ſunt, qui fuerunt, qui fu-
turi ſunt. quid? tu illum tecum ſolum, aut cum Cæſare; qui neminem prætermiſerit, quicum loqui potuerit, cui non eadem iſta dixerit? te tamen mi Brute ſic amo, ut debeo, quòd iſtud, quidquid eſſet, nugarum me ſcire uoluiſti: ſignum enim magnum amoris dediſti. Nam quod idem Segulius ait, ueteranos queri, quòd tu & Cæſar in decemuiris non eſſetis: utinam ne ego quidem eſſem: quid enim moleſtius? ſed tamen, cum ego ſenſiſſem, de ijs, qui exercitus haberent, ſententiam ferri oportere: ijdem illi, qui ſolent, reclamarunt. itaque excepti etiam eſtis, me uehementer repugnante. quocirca Segulium negligamus, qui res nouas quærit: non quo ueterem comederit: nullam enim habuit: ſed hanc ipſam recentem nouam deuorauit.

Quod autem ſcribis, te, quod pro te ipſo non facias, id pro me facere, ut de me timeas aliquid: omni te uir opti me, mihiq; cariſſime Brute de me metu libero. ego enim, quæ prouideri poterunt, non fallar in ijs: quæ cautionem non habebunt, de ijs non ita ualde laboro: ſim etenim impudens, ſi plus poſtulem, quàm homini à rerum natura tribui poteſt. Quod mihi præcipis, ut caueam, ne timendo magis timere cogar: & ſapienter, & amiciſſime præcipis. ſed uelim tibi perſuadeas, cum te conſtet excellere hoc genere uirtutis, ut nũquam extimeſcas, nunquam perturbere; me huic tuæ uirtuti proxime accedere. quamobrem neque metuam quid-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

quã, & cauebo omnia. sed uide, ne tua iam mi Brute culpa futura sit, si ego quidquam timeam: tuis enim opibus, & consulatu tuo, etiam si timidi essemus, tamen omnem timorem abijceremus; præsertim cum persuasum omnibus esset, mihiq; maxime, nos à te unice diligi. Consilijs tuis, quæ scribis, de quatuor legionibus, deq; agris assignandis ab utrisque uestrum, uehementer assentior. itaque cum quidam de collegis nostris agrariam curationẽ ligurirent, disturbaui rem, totamq; uobis integram reseruaui. si quid erit occultius, &, ut scribis, reconditum, meorum aliquem mittam, quo fidelius ad te literæ perferantur. Vale. Pridie non. Iun.

M. CICERO D. BRVTO IMP. S. D.

C Vm App. Claudio C. F. summa mihi necessitudo est, multis eius officijs, & meis mutuis constituta. peto à te maiorem in modum, uel humanitatis tuæ, uel mea causa, ut eum auctoritate tua, quæ plurimum ualet, conseruatum uelis. uolo te, cum fortissimus uir cognitus sis, etiam clementissimum existimari. magno tibi erit ornamento, nobilissimum adolescentem beneficio tuo esse saluum. cuius quidem causa hoc melior debet esse, quòd pietate adductus, propter patris restitutionẽ se cum Antonio coniunxit. quare etsi minus ueram causam habebis, tamẽ uel probabilem aliquam poteris inducere. nutus tuus potest hominem summo loco natũ, summo ingenio, summa uirtute, officiosissimum præterea, et gratissimum, incolumẽ in ciuitate retinere. quod ut facias, ita à te peto, ut maiore studio, magis'ue ex animo petere nõ possim. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

D. BRVTVS M. CICERONI S. D.

NOs hic ualemus recte: &, quo melius ualeamus, operam dabimus. Lepidus commode de nobis sentire uidetur. omni timore depo sito, debemus libere reip. consulere. quòd si omnia essent aliena, tamen tribus tantis exercitibus proprijs reip. ualentibus, magnum animum habere debebas, quem & semper habuisti, &, nunc fortuna adiuuante, augere potes. Quæ tibi superioribus literis mea manu scripsi, terrendi tui causa homines loquuntur. si frenũ momorderis; peream, si te omnes, quotquot sunt, conantem loqui ferre poterunt. Ego, tibi ut antea scripsi, dum mihi à te literæ ueniant, in Italia morabor. Vale. VIII cal. Iun. Eporædia.

M. CICERO D. BRVTO S. D.

NArro tibi: antea subiraſcebar breuitati tuarũ literarum: nunc mihi loquax esse uideor. te igitur imitabor. quàm multa. quàm paucis, Te recte ualere, operamq; dare, ut quotidie melius: Lepidum commode sentire: tribus exercitibus quiduis nos oportere confidere. si timidus essem, tamen ista epistola mihi omnem metum abstersisses. sed, ut mones, frenũ momordi: etenim, qui te incluso omnem spem habuerim in te; quid nunc putas? cupio iam uigiliam meam Brute tibi tradere, sed ita, ut ne desim constantiæ meæ. Quod scribis in Italia te moraturum, dum tibi literæ meæ ueniant: si per hostem licet, non erraris: multa enim Romæ. sin aduentu tuo bellum confici potest: ni-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

hil ſit antiquius. Pecunia, expeditiſſima quæ erat, tibi decreta eſt. habes amantiſſimum Seruilium. nos non deſumus. Vale. VIII id. Iun.

M. CICERO D. BRVTO S. D.

EXpectanti mihi tuas quotidie literas Lupus noſter ſubito denunciauit, ut ad te ſcriberem, ſi quid uellem. ego autem etſi, quid ſcribere, non habebam, (acta enim ad te mitti ſciebam: inanem autem ſermonem literarum tibi iniucundum eſſe audiebam) breuitatem ſecutus ſum te magiſtro. ſcito igitur, in te, & in collega ſpem omnem eſſe. De Bruto autem nihil adhuc certi: quem ego, quemadmodum præcipis, priuatis literis ad bellum commune uocare non deſino: qui utinam iam adeſſet: inteſtinum urbis malum, quod eſt non mediocre, minus timeremus. ſed quid ago? non imitor λακωνισμὸν tuum. altera iam pagella procedit. uince, & uale. XIII cal. Quint.

D. BRVTVS IMP. M. CICERONI S. D.

IN maximo meo dolore hoc ſolatio utor, quòd intelligunt homines, nō ſine cauſa me timuiſſe iſta, quæ acciderunt. deliberent, utrum traijciant legiones ex Africa, nec'ne, & ex Sardinia: Brutum accerſant, nec'ne: mihi ſtipendiū dent, an non, decernant. ad ſenatū literas miſi. crede mihi, niſi iſta omnia ita fiunt, quēadmodum ſcribo, magnum nos omnes adituros periculum. rogo te, uidete, quibus hominibus negotium detis, qui ad me legiones adducāt. & fide opus eſt, et celeritate. Vale. III no. Iun. ex caſtris.

UNIVERSIDAD DE HUELVA

M. CICERO C. MATIO S. D.

NOndum ſatis conſtitui, moleſtiæne plus, an uoluptatis attulerit mihi Trebatius noſter, homo tum plenus officij, tũ utriuſque noſtrum amantiſſimus. nam cum in Tuſculanum ueſperi ueniſſem; poſtridie ille ad me, non dum ſatis firmo corpore cum eſſet, mane uenit. quem cum obiurgarem, quòd parum ualetudini parceret: tum ille, nihil ſibi fuiſſe longius, quàm ut me uideret. nunquidnam, inquam, noui? detulit ad me querelam tuã: de qua prius quàm reſpondeo, pauca præponam. Quantum memoria repetere præterita poſſum, nemo eſt mihi te amicus antiquior. ſed VETVSTAS habet aliquid commune cum multis, amor non habet. dilexi te, quo die cognoui, meq; à te diligi iudicaui. tuus deinde diſceſſus, iſq; diuturnus, ambitio noſtra, & uitæ diſſimilitudo non eſt paſſa uoluntates noſtras conſuetudine conglutinari. tuum tamẽ erga me animum agnoui multis annis ante bellum ciuile, cum Cæſar eſſet in Gallia: quod enim uehementer mihi utile eſſe putabas, nec inutile ipſi Cæſari, perfeciſti, ut ille me diligeret, coleret, haberet in ſuis. multa prætereo, quæ temporibus illis inter nos familiariſſime dicta, ſcripta, communicata ſunt: grauiora enim ſunt conſecuta. & initio belli ciuilis cum Brunduſium uerſus ires ad Cæſarem, ueniſti ad me in Formianum. primum hoc ipſum quanti, præſertim temporibus illis? deinde oblitum me putas conſilij, ſermonis, humanitatis tuæ? quibus rebus intereſſe memi-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ni Trebatium. nec uero oblitus ſum literarum tuarum, quas ad me miſiſti, cum Cæſari obuiam ueniſſem in agro, ut arbitror, Trebulano. ſecutum illud tempus eſt, cum me ad Pompeiũ proficiſci ſiue pudor meus coegit, ſiue officium, ſiue fortuna. quod officium tuum, quod ſtudium uel in abſentẽ me, uel in præſentes meos defuit? quem porro omnes mei & mihi, & ſibi te amiciorem iudicauerunt? ueni Brunduſium: oblitum'ne me putas, qua celeritate, ut primum audieris, ad me Tarento aduolaris? quæ tua fuerit aſſeſſio, oratio, confirmatio animi mei fracti cõmunium miſeriarum metu? tandem aliquando Romæ eſſe cœpimus: quid defuit noſtræ familiaritati? in maximis rebus, quonam modo me gererem aduerſus Cæſarem, uſus tuo conſilio ſum. in reliquis officijs cui tu tribuiſti, excepto Cæſare, præter me, ut domum uentitares, horaſq; multas ſæpe ſuauiſſimo ſermone conſumeres? tum, cum etiam, ſi meminiſti, ut hæc φιλοσοφούμενα ſcriberem, tu me impuliſti poſt Cæſaris reditum, quid tibi maiori curæ fuit, quàm ut eſſem ego illi quam familiariſſimus? quod efferas. quorſum igitur hæc oratio longior, quàm putaram? quia ſum admiratus, te, qui hæc noſſe deberes, quidquam à me commiſſum, quod eſſet alienum noſtra amicitia, credidiſſe. nam præter hæc, quæ commemoraui, quæ teſtata ſunt, & illuſtria, habeo multa occultiora, quæ uix uerbis exequi poſſum. omnia me tua delectant, ſed maxime maxima cum fides in amicitia, conſilium, grauitas, conſtantia, tum lepos, humanitas, literæ. quapropter redeo nunc ad querelam. Ego te ſuffragium tuliſſe in illa lege, primum

non credidi: deinde, si credidissem, nunquam id sine aliqua iusta causa existimarem te fecisse. dignitas tua facit, ut animaduertatur, quidquid facias: maleuolentia autem hominum, ut nonnulla durius, quàm à te facta sint, proferantur. ea si tu non audis; quid dicam, nescio; equidem si quando audio, tam defendo, quàm me scio à te contra iniquos meos solere defendi. defensio autem est duplex. alia sunt, quæ liquido negare soleam, ut de isto ipso suffragio: alia, quæ defendam à te pie fieri, & humane, ut de curatione ludorum. sed te, hominem doctissimum, non fugit, si Cæsar rex fuerit, quod mihi quidem uidetur, in utranque partem de tuo officio disputari posse: uel in eam, qua ego uti soleo, laudandam esse fidem, et humanitatem tuã, qui amicum etiam mortuum diligas: uel in eam, qua nonnulli utuntur, libertatem patriæ uitæ amici anteponendam. ex his sermonibus utinam essent delatæ ad te disputationes meæ. illa uero duo, quæ maxima sunt laudum tuarum, quis aut libentius, quàm ego, commemorat, aut sæpius; te & non suscipiendi belli ciuilis grauissimum auctorem fuisse, & moderandæ uictoriæ? in quo qui mihi non assentiretur, inueni neminẽ. quare habeo gratiã Trebatio, familiari nostro, qui mihi dedit causam harum literarum. quibus nisi credideris; me omnis officij, & humanitatis expertem iudicaris. quo nec mihi grauius quidquam potest esse, nec à te alienius. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

C. MATIVS M. CICERONI S. P. D.

M Agnam uoluptatem ex tuis literis cepi, quòd, quã ſperaram, atque optaram, habere te de me opinionẽ cognoui. de qua etſi non dubitabam, tamen, quia maximi æſtimabã, ut incorrupta mæneret, laborabam. conſcius autẽ mihi eram, nihil à me cõmiſſum eſſe, quod boni cuiuſquam offenderet animũ. eo minus credebam, plurimis, atque optimis artibus ornato tibi temere quidquã perſuaderi potuiſſe, præſertim in quem mea propenſa, & perpetua fuiſſet, atque eſſet beneuolentia. quod quando, ut uolui, ſcio eſſe: reſpõdebo criminibus, quibus tu pro me, ut par erat, tua ſingulari bonitate, et amicitia noſtra ſæpe reſtitiſti. nota enim mihi ſunt, quæ in me poſt Cæſaris mortem contulerint. Vitio mihi dant, quòd mortẽ hominis neceſſarij grauiter fero, atque eum, quem dilexi, periiſſe indignor: aiunt enim patriã amicitiæ præponendam eſſe: perinde ac ſi iam uicerint, obitum eius reip. fuiſſe utilẽ. ſed non agam aſtute. fateor me ad iſtũ gradum ſapientiæ non perueniſſe: neque enim Cæſarem in diſſenſione ciuili ſum ſecutus; ſed amicũ, quanquam re offendebar, tamen non deſerui: neque bellum nnquam ciuile, aut etiã cauſam diſſenſionis probaui; quã etiam naſcentem extingui, ſumme ſtudui. itaque in uictoria hominis neceſſarij, neque honoris, neque pecuniæ dulcedine ſum captus. quibus præmijs reliqui, minus apud eũ, quàm ego, cũ poſſent, immoderate ſunt abuſi. atque etiã res familiaris mea, lege Cæſaris diminuta eſt: cuius beneficio plerique, qui Cæſaris morte lætantur, remanſerũt in

ciuitate. ciuibus uictis ut parceretur, æque, ac pro mea salute, laboraui. possum igitur, qui omnes uoluerim incolumes, eum, à quo id impetratum est, periisse non indignari? cũ præsertim ijdem homines illi & inuidiæ, & exitio fuerint. plecteris ergo, inquiunt; quando factum nostrum improbare audes. ò superbiam inauditam, alios in facinore gloriari, alijs ne dolere quidẽ impune licere. at hæc etiam seruis semper libera fuerunt, timerent, gauderent, dolerent suo potius, quàm alterius, arbitrio. quæ nunc isti, ut quidem dictitant, libertatis auctores metu nobis extorquere conantur. sed nihil agunt. nullius unquam periculi terroribus ab officio, aut ab humanitate desciscam: NVNQVAM enim honestam mortẽ fugiendam, sæpe etiam appetendam putaui. sed quid mihi succensent, si id opto, ut pœniteat eos sui facti? cupio enim Cæsaris mortẽ omnibus esse acerbam. at debeo pro ciuili parte remp. uelle saluam. id quidem me cupere, nisi & ante acta uita, & reliqua mea spes tacente me probat: dicendo uincere nõ postulo. quare maiorem in modum te rogo, ut rem potiorem oratione ducas: mihiq; , si sentis expedire recte fieri, credas nullam communionem cum improbis esse posse. an, quod adolescens præstiti, cum etiam errare cum excusatione possem; id nunc ætate præcipitata cõmutem, ac me ipse retexam? non faciam, neque, quod displiceat, committam, præterquam quòd hominis mihi coniunctissimi, ac uiri amplissimi doleo grauem casum. quòd si aliter essem animatus; nunquam, quod faceré, negarem; ne & in peccando improbus, & in dissimulando timidus, ac uanus existimarer. At ludos, quos

Cæsaris

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Cæsaris victoriæ Cæsar adolescens fecit, curaui. At id ad priuatum officium, non ad statū reip. pertinebat. quod tamen munus & hominis amicissimi memoriæ, ac honoribus præstare etiam mortui debui: & optimæ spei adolescenti, ac dignissimo Cæsari petenti negare non potui. ueni etiam consulis Antonij sæpe domum salutādi causa: ad quem, qui me parum patriæ amantem esse existimant, rogandi quidem aliquid, aut auferendi causa frequentes uentitasse reperies. sed quæ hæc est arrogantia, quod Cæsar nunquam interpellauit, quin, quibus uellem, atque etiam quos ipse non diligebat, tamen ijs uterer; eos, qui mihi amicum eripuerunt, carpendo me, efficere conari, ne, quos uelim, diligam? sed non uereor, ne aut meæ uitæ modestia parum ualitura sit in posterum contra falsos rumores: aut etiam ijs, qui me non amant propter meam in Cæsarem cōstantiam, non malint mei, quàm sui, similes amicos habere. mihi quidem si optata contingent: quod reliquum est uitæ, in otio Rhodi degam. sin casus aliquis interpellarit: itaro Romæ, ut rectè fieri semper cupiam. Trebatio nostro magnas gratias ago, quòd tuum erga me animū simplicē, atque amicum aperuit; & quòd eum, quem semper dilexi lubēter, quo magis iure colere, atque obseruare deberem, fecit. Bene ualē, & me dilige.

M. CICERO M. OPPIO S.

Vbitanti mihi, quod scit Atticus noster, de
D hoc toto consilio profectionis, quòd in utranque partem in mentem multa ueniebāt, magnum pondus accessit ad tollendam dubitationem, in-

dicium, & consilium tuum. nam & scripsisti aperte, quid tibi uideretur: & Atticus ad me sermonem tuum pertulit. semper iudicaui, in te & in capiendo consilio prudentiam summam esse, & in dando fidem: maximéq; sum expertus, cum initio ciuilis belli per literas te consuluissem, quid mihi faciendum esse censeres, eundum'ne ad Pompeium, an manendum in Italia: suasisti, ut consulerem dignitati meæ. ex quo, quid sentires, intellexi. et sum admiratus fidem tuam, & in consilio dando religionem; quòd, cum aliud malle amicissimum tuum putares, antiquius tibi officium meum, quàm illius uoluntas fuit. equidem & ante hoc tempus te dilexi: & semper me à te diligi sensi; & cum abessem, atque in magnis periculis essem, & me absentem, & meos præsentes à te cultos & defensos esse memini: & post meum reditum, quàm familiariter mecum uixeris, quæq; ego de te & senserim, & prædicarim, omnes, qui solent hæc animaduertere, testes habemus. grauissimum uero iudicium de mea fide, & de constantia fecisti, cum post mortem Cæsaris totum te ad amicitiam meam contulisti. quod tuum iudicium nisi mea summa beneuolentia erga te, omnibusq; meritis comprobaro, ipse me hominem non putabo. Tu mi Oppi conserua bis amorem tuum, (etsi more magis hoc quidem scribo, quàm quo te admonendum putem) meaq; omnia tuebere: quæ tibi ne ignota essent, Attico mandaui. A me autem, cum paulum otij nacti erimus, uberiores literas expectato. Da operam, ut ualeas. hoc mihi gratius facere nihil potes.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM, AD CASSIVM, ET ALIOS, LIBER XII.

M. CICERO C. CASSIO S. P. D.

F Inem nullum facio, mihi crede, Cassi de te, & de Bruto nostro, id est de tota rep. cogitandi, cuius omnis spes in uobis est, & in D. Bruto: quam quidem iam habeo ipse meliorem, rep. à Dolabella meo præclarissime gesta: manabat enim illud malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem & urbi, & otio diffiderem urbano: sed ita compressum est, ut mihi uideamur omne iam ad tempus ab illo duntaxat sordidissimo periculo tuti futuri. reliqua magna sunt, & multa; sed posita omnia sunt in uobis: quanquam primum quidque explicemus: nam, ut adhuc quidem actum est, non regno, sed rege liberati uidemur: interfecto enim rege, regios omnes nutus tuemur: neque uero id solum, sed etiam, quæ ipse ille, si uiueret, non faceret, ea nos, quasi cogitata ab illo, probamus: nec eius quidem rei finem uideo. tabulæ figuntur: immunitates dantur: pecuniæ maximæ describuntur: exules reducuntur: S. C. falsa referuntur: ut tantummodo odium illud hominis impuri, & seruitutis dolor depulsus esse uideatur: resp. iaceat in ijs perturbationibus, in quas eam ille coniecit. hæc omnia uobis sunt expedienda: nec hoc cogitandum, satis iam habere remp. à uobis. habet illa

quidem tantum, quantum nunquam mihi in mentem uenit optare: sed contenta non est; & pro magnitudine & animi, & beneficij uestri à uobis magna desiderat. adhuc ulta suas iniurias est per uos interitu tyranni: nihil amplius: ornamenta uero sua quæ recuperauit? an quòd ei mortuo paret, quem uiuum ferre non poterat? cuius æra refigere debebamus, eius etiam chirographa defendimus? at enim ita decreuimus. fecimus id quidem temporibus cedentes, quæ ualent in rep. plurimum: sed immoderate quidam, & ingrate nostra facilitate abutuntur. uerum hæc propediem, & multa alia coram. Interim uelim, sic tibi persuadeas, mihi cum reip. quam semper habui cariſſimam, tum amoris nostri causa, maximæ curæ esse tuam dignitatem. Da operam ut ualeas.

M. CICERO C. CASSIO S. P. D.

VEhementer lætor tibi probari sententiam, & orationem meam. quasi sæpius uti liceret; nihil esset negotij, libertatem, & remp. recuperare. sed homo amens, & perditus, multóq; nequior, quàm ille ipse, quem tu nequissimum occisum esse dixisti, cædis initium quærit: nullamq; aliam ob causam me auctorem fuisse Cæsaris interficiendi criminatur, nisi ut in me ueterani incitentur. quod ego periculum non extimesco, modo facti uestri gloriam cum mea laude communicem. ita nec Pisoni, qui in eum primus inuectus est nullo assentiente; nec mihi, qui idem triceſimo post die feci; nec P. Seruilio, qui me est conse-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

cutus, tuto in ſenatum uenire licet : cædem enim gladiator quærit ; eiuſq; initium ad XIII cal. Oct. à me ſe facturum putauit . at quàm paratus uenerat, cũ in uilla Metelli complures dies commentatus eſſet . quæ autem in luſtris, & in uino commentatio potuit eſſe ? itaque omnibus eſt uiſus, ut ad te antea ſcripſi, ſuo more uomere, non dicere . quare quòd ſcribis te confidere, auctoritate, & eloquentia noſtra aliquid profici poſſe : non nihil, ut in tantis malis, eſt profectum : intelligit enim populus R. tres eſſe conſulares, qui, quia, quæ de rep. bene ſenſerint, libere locuti ſunt, tuto in ſenatum uenire non poſſint . nec eſt præterea, quòd quidquam expectes : tuus enim neceſſarius affinitate noua delectatur : itaque iam non eſt ſtudioſus ludorum, infinitoq; fratris tui plauſu dirumpitur . alter item affinis nouis commentarijs Cæſaris delinitus eſt . ſed hæc tolerabilia : illud non ferendum, quòd eſt, qui ueſtro anno conſulem filium ſuum futurum putet, ob eamq; cauſam ſe huic latroni deſeruire præ ſe ferat . nam L. Cotta, familiaris meus, fatali quadam deſperatione, ut ait, minus in ſenatum uenit . L. Cæſar, optimus, & fortiſſimus ciuis, ualetudine impeditur . Ser. Sulpicius & ſumma auctoritate, & optime ſentiens, non adeſt . reliquos, exceptis deſignatis, ignoſce mihi, ſi non numero conſulares. habes auctores conſilij publici . qui numerus etiam bonis rebus exiguus eſſet: quid cenſes, perditis ? quare ſpes eſt omnis in uobis . qui ſi iccirco abeſtis, ut ſitis in tuto, ne in uobis quidem: ſin aliquid dignum ueſtra gloria cogitatis : uelim, ſaluis nobis : ſin id minus, res tamen publica per uos breui tempore ius ſuum

recuperabit. Ego tuis neque desum, neque deero: qui siue ad me referent, siue non; mea tibi tamen beneuolentia, fidesq; præstabitur. Vale.

M. CICERO C. CASSIO S. P. D.

A Vget tuus amicus furorem in dies. primum in statua, quam posuit in rostris, inscripsit, PARENTI OPTIME MERITO: ut non modo sicarij, sed iam etiam parricidæ iudicemini: quid dico, iudicemini? iudicemur potius: uestri enim pulcherrimi facti ille furiosus me principem dicit fuisse. utinam quidem fuissem: molestus nobis non esset. sed hoc uestrum fuit: quod quando præterijt; utinam haberem, quid darem uobis consilij. sed ne mihi quidem ipsi, reperio, quid faciundum sit: QVID enim est, quod contra uim sine ui fieri possit? consilium autem omne hoc est illorum, ut mortem Cæsaris persequantur. itaque ante diem VI. non. Oct. productus in concionem à Canutio, turpissime ille quidem discessit, sed tamen ea dixit de conseruatoribus patriæ, quæ dici deberent de proditoribus: de me quidem non dubitanter, quin omnia de meo consilio & uos fecissetis, & Canutius faceret. cætera cuiusmodi sint, ex hoc iudica, quòd legato tuo uiaticum eripuerunt. quid eos interpretari putas, cum hoc faciunt? ad hostem scilicet portari. ò rem miseram. dominum ferre non potuimus: conseruo seruimus. et tamen me quidem fauente magis, quàm sperante, etiam nunc residet spes in uirtute tua. sed ubi sunt copiæ? de reliquo malo te ipsum loqui tecum, quàm dicta nostra cognoscere. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CICERO C. CASSIO S. P. D.

VEllem, id. Mart. me ad cœnam inuitaſſes: reliquiarũ nihil fuiſſet. nunc me reliquiæ ueſtræ exercent, et quidem præter cæteros me. quanquam egregios conſules habemus, ſed turpiſſimos conſulares; ſenatũ fortem, ſed infimo quenque honore fortiſſimum; populo uero nihil fortius, nihil melius, Italiáq; uniuerſa. nihil autem fœdius Philippo, et Piſone legatis, nihil flagitioſius: qui cum eſſent miſſi, ut Antonio ex ſenatus ſententia certas res renunciarent; cum ille earum rerum nulli paruiſſet, ultro ab illo ad nos intolerabilia poſtulata retulerunt. itaque ad nos concurritur: factiq; iam in re ſalutari populares ſumus. ſed tu quid ageres, quid acturus, ubi denique eſſes, neſciebã. fama nunciabat te eſſe in Syria: auctor erat nemo. De Bruto, quo propius eſt, eo firmiora uidentur eſſe, quæ nunciantur. Dolabella ualde uituperabatur ab hominibus nõ inſulſis, quòd tibi tam cito ſuccederet, cũ tu uixdum triginta dies in Syria fuiſſes. itaque conſtabat, eum recipi in Syriã non oportere. Summa laus et tua, et Bruti eſt, quòd exercitũ præter ſpem exiſtimamini cõparaſſe. ſcriberem plura, ſi rem, cauſamq; noſſem. nunc quæ ſcribo, ſcribo ex opinione hominum, atque fama. Tuas literas auide expecto. Vale.

M. CICERO C. CASSIO S. P. D.

IEmem credo adhuc prohibuiſſe, quo minus de
H te certum haberemus, quid ageres, maximeq; ubi eſſes. loquebantur omnes tamen, credo, quòd uolebant, in Syria te eſſe, habere copias.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

id autē eo facilius credebatur, quia ſimile uero uidebatur. Brutus quidē noſter egregiam laudem eſt conſecutus: res enim tantas geſſit, tamq; inopinatas, ut eæ cū per ſe gratæ eſſent, tum gratiores propter celeritatem. quòd ſi tu ea tenes, quæ putamus: magnis ſubſidijs fulta reſp. eſt. à prima enim ora Græciæ uſque ad Aegyptum optimorū ciuium imperijs muniti erimus, et copijs. quanquam, niſi me fallebat, res ſic ſe habebat, ut totius belli omne diſcrimen in D. Bruto poſitū uideretur: qui ſi, ut ſperabamus, erupiſſet Mutina; nihil belli reliquū fore uidebatur. paruis omnino iam copijs obſidebatur, quòd magno præſidio Bononiā tenebat Antonius. erat autem Claternæ noſter Hirtius, ad Forū Cornelium Cæſar, uterque cum firmo exercitu: magnaſq; Romæ Pan ſa copias ex delectu Italiæ compararat. hiems adhuc rē geri prohibuerat. Hirtius nihil niſi conſiderate, ut mihi crebris literis ſignificat, acturus uidebatur. præter Bononiam, regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus ſtudioſiſſimam reip. tuos etiam clientes trāſpadanos mirifice coniunctos cum cauſa habebamus. erat firmiſſimus ſenatus, exceptis conſularibus: ex quibus unus L. Cæſar firmus eſt, & rectus. Ser. Sulpicij morte magnum præſidium amiſimus. reliqui partim inertes, partim improbi. nonnulli inuident eorum laudi, quos in rep. probari uident. populi uero R. totiusq; Italiæ mira conſenſio eſt. hæc erant fere, quæ tibi nota eſſe uellem. nunc autem opto, ut ab iſtis orientis partibus uirtutis tuæ lumen eluceat. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CICERO C. CASSIO S. P. D.

Q Vi ſtatus rerum fuerit tum, cum has literas dedi, ſcire poteris ex C. Tidio Strabone, uiro bono, et optime de rep. ſentiente: nam quid dicam, cupidiſſimo tui, qui domo, & fortunis relictis, ad te potiſſimum profectus ſit? itaque eum tibi ne commendo quidem. aduentus ipſius ad te ſatis eum commendabit. Tu, uelim, ſic exiſtimes, tibiq; perſuadeas, omne perfugium bonorum in te, & Bruto eſſe poſitũ, ſi, quod nolim, aduerſi quid euenerit. res, cum hæc ſcribebam, erat in extremum deducta diſcrimen: Brutus enim Mutinæ uix iam ſuſtinebat. qui ſi conſeruatus erit; uicimus: ſin (quod Dij omen auertant); omnis omnium curſus eſt ad uos. proinde fac tantum animum habeas, tantumq; apparatum, quanto opus eſt ad uniuerſam remp. recuperandam. Vale.

M. CICERO C. CASSIO S. P. D.

Q Vanto ſtudio dignitatem tuam et in ſenatu, & ad populum defenderim, ex tuis te malo, quàm ex me cognoſcere. quæ mea ſententia in ſenatu facile ualuiſſet, niſi Panſa uehementer obſtitiſſet. ea ſententia dicta, productus ſum in concionem à tribuno pl. M. Seruilio. dixi de te, quæ potui, tanta contentione, quantum forum eſt; tanto clamore, conſenſuq; populi, ut nihil unquam ſimile uiderim. id uelim mihi ignoſcas, quòd inuita ſocru tua fecerim. mulier timida uerebatur, ne Panſæ animus offenderetur. in con

cione quidem Pansa dixit, matrem quoque tuam, & fratrem illam à me sententiam noluisse dici. sed me hæc non mouebant: alia malebam: fauebam & reip. cui semper faui, & dignitati, ac gloriæ tuæ. quod autem & in senatu pluribus uerbis disserui, & dixi in concione, in eo, uelim, fidem meam liberes: promisi enim, & prope confirmaui, te non expectasse, nec expectaturum decreta nostra, sed te ipsum tuo more remp. defensurum. et quanquam nihildum audieramus, nec ubi esses, nec quas copias haberes: tamen sic statuebã, omnes, quæ in istis partibus essent, opes, copiasq; tuas esse: per teq; Asiam prouinciam confidebam iam reip. recuperatam. tu fac, in augenda gloria te ipsum uincas. Vale.

M. CICERO C. CASSIO S. P. D.

S Celus affinis tui Lepidi, summamq; leuitatem, & inconstantiam, ex actis, quæ ad te mitti certo scio, cognosse te arbitror. itaque nos confecto bello, ut arbitrabamur, renouatum bellum gerimus: spemq; omnem in D. Bruto, & Planco habemus: si uerum quæris, in te, & in meo Bruto non solum ad præsens perfugium, si, quod nolim, aduersi quid acciderit, sed etiam ad confirmationem perpetuæ libertatis. Nos hic de Dolabella audiebamus, quæ uellemus: sed certos auctores non habebamus. te quidem magnum hominem & præsenti iudicio, & reliqui temporis expectatione scito esse. hoc tibi proposito, fac ut ad summa contendas. nihil est tantum, quod non populus R. à te perfici, atque obtineri posse iudicet. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CICERO C. CASSIO S. P. D.

B Reuitas tuarum literarum me quoque breuio rem in scribendo facit: &, uere ut dicam, non satis occurrit, quod scribam: nostras enim res in actis perferri ad te, certo scio: tuas autem ignoramus: tanquam enim clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos, præter rumores de oppresso Dolabella, satis illos quidem constantes, sed adhuc sine auctore. Nos confectum bellum cum putaremus, repente à Lepido tuo in summam solicitudinem adducti sumus. itaque persuade tibi, maximam reip. spem in te, & in tuis copijs esse. firmos omnino exercitus habemus: sed tamen, ut omnia, ut spero, prospere procedant, multum interest te uenire: exigua est enim spes reip. nam nullam non libet dicere: sed quæcunque est, ea despondetur anno consulatus tui. Vale.

M. CICERO C. CASSIO S. P. D.

L Epidus, tuus affinis, meus familiaris, prid. cal. Quint. sententijs omnibus hostis à senatu iudicatus est, cæteriq;, qui una cum illo à rep. defecerunt. quibus tamen ad sanitatem redeundi ante cal. Sept. potestas facta est. fortis sane senatus, sed maxime spe subsidij tui. bellum quidem, cum hæc scribebam, sane magnum erat scelere, & leuitate Lepidi. Nos de Dolabella quotidie, quæ uolumus, audimus, sed adhuc sine capite, sine auctore, rumore nuncio. quod cum ita esset, tamen literis tuis, quæ

non. Maij ex castris datas acceperamus, ita persuasum erat ciuitati, ut illum iam oppressum omnes arbitrarentur, te autem in Italiam uenire cum exercitu: ut si hæc ex sententia confecta essent, consilio, atque auctoritate tua; sin quid forte titubatum esset, ut fit in bello, exercitu tuo niteremur. quem quidem ego exercitum quibuscunque potero rebus ornabo. cuius rei tum tempus erit, cum, quid opis reip. laturus exercitus sit, aut quid iam tulerit, notum esse cœperit: nam adhuc tantum conatus audiuntur, optimi illi quidem, & præclarissimi, sed gesta res expectatur: quam quidem aut iam esse aliquam, aut appropinquare confido. tua uirtute, & magnitudine animi nihil est nobilius. itaque optamus, ut quamprimum te in Italia uideamus. remp. nos habere arbitrabimur, si uos habebimus. præclare uiceramus, nisi spoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepisset Antonium. itaque nunquam tanto odio ciuitati Antonius fuit, quanto est Lepidus: ille enim ex turbulenta rep. hic ex pace, & uictoria bellum excitauit. huic oppositos consules dess. habemus: in quibus est magna illa quidem spes, sed anceps cura propter incertos exitus præliorum. persuade tibi igitur, in te, & in Bruto tuo esse omnia, uos expectari, Brutum quidem iam iamq;. quòd si, ut spero, uictis hostibus nostris ueneritis: tamen auctoritate uestra resp. exurget, & in aliquo statu tolerabili consistet: sunt enim permulta, quibus erit medendum, etiam si resp. satis esse uidebitur sceleribus hostium liberata. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

C. CASSIVS PRO CONS. M. CICERONI S. D.

S I uales, bene est: ego quidem ualeo. In Syriâ me profectum esse scito ad L. Murcum, & Q. Crispum impp. Viri fortes, optimiq; ciues, posteaquam audierunt, quæ Romæ gererentur; exercitus mihi tradiderunt; ipsiq; mecum una fortissimo animo remp. administrant. item legionem, quam Q. Cæcilius Bassus habuit, ad me uenisse scito. quatuorq; legiones, quas A. Allienus ex Aegypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito. Nunc te cohortatione non puto indigere, ut nos absentes, remq; publicam, quantum opus est, defendas. scire te uolo, firma præsidia uobis, senatuiq; non deesse, ut optima spe, & maxima animo remp. defendas. reliqua tecū aget L. Carteius, familiaris meus. Vale. Data no. Mart. ex castris, Taricheis.

C. CASSIVS PRO CONS. M. CICERONI S. D.

S I uales, bene est: ego quidem ualeo. Legi tuas literas, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognoui: uidebaris enim non solum fauere nobis, id quod & nostra, & reip. causa semper feciſti; sed etiam grauem curam suscepisse, uehementerq; esse de nobis solicitus. itaque quòd te primum existimare putabam, nos oppressa rep. quiescere nō posse; deinde, cum suspicarere nos moliri, quòd te solicitum esse & de salute nostra, & de rerum euentu putabam; simul ac legiones accepi, quas A. Allienus eduxerat ex

Aegypto; ſcripſi ad te, tabellariosq; complures Romam miſi. ſcripſi etiam ad ſenatum literas, quas reddi uetui prius, quàm tibi recitatæ eſſent; ſi forte mei obtemperare mihi uoluerunt. quòd ſi literæ perlatæ non ſunt; non dubito, quin Dolabella, qui, nefarie Trebonio occiſo, Aſiam occupauit, tabellarios meos deprehenderit, literasq; interceperit. exercitus omnes, qui in Syria fuere, teneo. habui paululum moræ, dum promiſſa militibus perſoluo. nunc iam ſum expeditus. A te peto, ut dignitatem meam tibi commendatam habeas, ſi me intelligis nullum neque periculum, neque laborem patriæ denegaſſe: ſi contra importuniſſimos latrones arma cepi te hortante, & auctore: ſi non ſolum exercitum ad remp. libertatemq; defendendam comparaui, ſed etiam crudeliſſimis tyrannis eripui. quem ſi occupaſſet Dolabella; non ſolum aduentu, ſed etiam opinione, & expectatione exercitus ſui Antonium confirmaſſet. quas ob res milites tuere, ſi eos mirifice de rep. meritos eſſe animaduertis: & effice, ne quem pœniteat, remp. quàm ſpem prædæ, & rapinarum, ſequi maluiſſe. item Murci, & Criſpi Impp. dignitatem, quantum eſt in te, tuere. nam Baſſus miſere noluit mihi legionem tradere; quòd niſi milites inuito eo legatos ad me miſiſſent; clauſam Apameam tenuiſſet, quoad ui eſſet expugnata. hæc à te peto non ſolum reip. quæ tibi ſemper fuit cariſſima, ſed etiam amicitiæ noſtræ nomine: quam confido apud te plurimum poſſe. crede mihi, hunc exercitum, quem habeo, ſenatus, atque optimi cuiuſque eſſe, maximeq; tuum: de cuius uoluntate aſſidue audiendo, mirifice te diligit, carumq; habet. qui ſi intellexe-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

rit commoda ſua curæ tibi eſſe ; debere etiam ſe tibi omnia putabit. Literis ſcriptis, audiui Dolabellam in Ciliciam ueniſſe cum ſuis copijs . proficiſcar in Ciliciam . quid egerim, celeriter ut ſcias, dabo operam . ac uelim, ut meremur de rep. ſic felices ſimus . Fac ualeas, meq; ames . nonis Maij , ex caſtris .

C. CASSIVS S. D. M. CICERONI.

I uales, bene eſt : ego quidem ualeo . Cum reip. uel ſalute, uel uictoria gaudemus ; tum inſtauratione tuarum laudum . quòd maximus conſularis maximum conſulem te ipſe uiciſti, & lætamur, & mirari ſatis non poſſumus . fatale neſcio quid tuæ uirtuti datum : id quod iam ſæpe experti ſumus : eſt enim tua toga omnium armis felicior : quæ nunc quoque nobis pene uictam remp. ex manibus hoſtium eripuit, ac reddidit . nunc ergo uiuemus liberi . nunc te omnium maxime ciuis, & mihi cariſſime, id quod maxime reip. tenebris comperiſti, nunc te habebimus teſtem noſtri & in te, & in coniunctiſſimam tibi remp. amoris : & quæ ſæpe pollicitus es te & tacturum, dum ſeruiremus, & dicturum de me tum, cum profutura eſſent ; nunc illa non ego quidem dici tantopere deſiderabo, quàm ſentiri à te ipſo : neque enim omnium iudicio malim me à te commendari, quàm ipſe tuo iudicio digne, ac mereor, commendatus eſſe : ut hæc nouiſſima noſtra facta non ſubita, nec inconuenientia, ſed ſimilia illis cogitationibus, quarum tu teſtis es, fuiſſe iudices ; meq; ad optimam ſpem patriæ non minimum tibi ipſi producendum putes . ſunt

tibi M. Tulli liberi, propinquiq; digni quidem te, & merito tibi cariſſimi. eſſe etiam debent in rep. proxime hos cari, qui ſtudiorum tuorum ſunt æmuli: quorum eſſe cupio tibi copiam: ſed tamen non maxima me turba puto excludi, quo minus tibi uacet me excipere, & ad omnia, quæ uelis, & probes, producere. animum tibi noſtrum fortaſſe probauimus: ingenium certe diutina ſeruitus, qualecunque eſt, minus tamen, quàm erat, paſſa eſt uideri. Nos ex ora maritima Aſiæ prouinciæ, et ex inſulis, quas potuimus, naues deduximus. delectum remigum, magna contumacia ciuitatum, tamen ſatis celeriter habuimus. ſecuti ſumus claſſem Dolabellæ, cui Lucilius præerat: qui ſpem ſæpe tranſitionis præbendo, neque unquam non decedendo, nouiſſime Corycum ſe contulit, et clauſo portu ſe tenere cœpit. nos illa relicta, quòd & in caſtra peruenire ſatius eſſe putabamus; & ſequebatur claſſis altera, quam anno priore in Bithynia Tullius Cimber compararat, cui Turulius quæſtor præerat: Cyprum petiuimus. ibi, quæ cognouimus, ſcribere ad uos quamcelerrime uoluimus. Dolabellam ut Tarſenſes, peſſimi ſocij, ita Laodiceni multo amentiores ultro accerſierunt. ex quibus utriſque ciuitatibus, Græcorum militum numero, ſpeciem exercitus effecit. caſtra habet ante oppidum Laodiceam poſita; & partem muri demolitus eſt; et caſtra oppido coniunxit. Caſſius noſter cum decem legionibus, & cohortibus uiginti auxiliarijs, & quatuor millibus equitum à militibus paſſuum uiginti, caſtra habet poſita παλτοῖς; & exiſtimat ſe ſine prælio poſſe uincere: nam iam ternis tetradrachmis tritici

penes

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

penes Dolabellam est: nisi quid nauibus Laodicenorum supportarit, cito fame pereat, necesse est: ne supportare possit, et Cassij classis bene magna, cui præest Sestius Rufus, & tres, quas nos adduximus, ego, Turulius, & Patiscus facile præstabunt. uolo igitur uos bene sperare; & remp. ut uos isthic expedijstis, ita pro nostra parte celeriter nobis expediri posse, confidere. Vale. Data idibus Iun. Cypro, Acromani Iacride.

LENTVLVS CICERONI SVO S. D.

VM Brutum nostrũ conueniissem, eumq; tardius in Asiam uenturum animaduerterem: in Asiam redij, ut reliquias mei laboris colligerem, et pecuniam quamprimum Romam mitterem. interim cognoui in Lycia esse classem Dolabellæ, amplius q; centum naues onerarias, in quas exercitus eius imponi posset; idq; Dolabellam ea mente comparasse, ut, si Syriæ spes eum frustrata esset, conscenderet in naues, & Italiam peteret, seq; cum Antonijs, & reliquis latronibus coniungeret. cuius rei tanto in timore fui, ut, omnibus rebus relictis, cum paucioribus & minoribus nauibus ad illas ire conatus sim. quæ res, si à Rhodijs non essem interpellatus, fortasse tota sublata esset: tamen magna ex parte profligata est: quandoquidem classis dissipata est: aduentus nostri timore milites, ducesq; effugerunt: onerariæ omnes ad unam à nobis sunt exceptæ. certe, quod maxime timui, uideor esse consecutus, ut non possit classe Dolabella in Italiam peruenire, nec, socijs suis firmatis, durius uobis efficere negotiũ.

Rhodij nos, & remp. quàm ualde desperauerint, ex literis, quas publice misi, cognoscés. et quidem multo parcius scripsi, quàm re uera furere eos inueni. quòd uero aliquid de his scripsi, mirari noli: mira est eorum amentia. nec me meæ ullæ priuatim iniuriæ mouerunt unquam: malus animus eorum in nostram salutem, cupiditas partium aliarum, perseuerantia in contemptione optimi cuiusque ferenda mihi non fuit. nec tamen omnes perditos esse puto. sed ijdem illi, qui tum fugientem patrem meum, qui L. Lentulum, qui Pompeium, qui cæteros uiros clarissimos non receperunt; ijdem, tanquam aliquo fato, & nunc aut magistratum gerunt, aut eos, qui sunt in magistratu, in sua habent potestate. itaque eadem superbia in prauitate utūtur. quorum improbitatem aliquando retundi, & non pati impunitate augeri, non solum utile est reip. nostræ, sed etiam necessariū. De nostra dignitate, uelim, tibi ut semper curæ sit; et quocunque tempore occasionem habueris, & in senatu, & in cæteris rebus laudi nostræ suffragere. quando consulibus decreta est Asia; & permissum est ijs, ut, dum ipsi uenirent, darent negotium, qui Asiam obtineant: rogo te, petas ab ijs, ut hanc dignitatem potissimum nobis tribuant, & mihi dent negotium, ut Asiam obtineam, dum ipsorum alteruter uenit. nam, quòd huc properent in magistratu uenire, aut exercitum mittere, causam non habent: Dolabella enim in Syria est; &, ut tu diuina tua mente prospexisti, & prædicasti, dum isti ueniunt, Cassius eum opprimet: excluſus enim ab Antiochia Dolabella, & in oppugnando male acceptus, nulla alia confisus urbe, Laodiceam, quæ est

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

in Syria ad mare, se contulit. ibi spero celeriter eum pœnas daturum. nam neque, quò refugiat, habet: neque diutius ibi poterit tantum exercitum Cassij sustinere. spero etiam confectum esse iam, & oppressum. quare non puto Pansam, & Hirtium in consulatu properaturos in prouincias exire, sed Romæ acturos consulatum. itaque si ab his petieris, ut interea nobis procurationē Asiæ dent, spero te posse impetrare. præterea mihi promiserunt Pansa & Hirtius coram, & absenti mihi scripserunt, Verrioq; nostro Pansa affirmauit, se daturum operam, ne in suo consulatu mihi succedatur. ego porro non mediusfidius cupiditate prouinciæ produci longius spacium mihi uolo: nam mihi fuit ista prouincia plena laboris, periculi, detrimenti. quæ ego ne frustra subierim, neue prius, quàm reliquias meæ diligentiæ consequar, decedere cogar, ualde laboro. nam si potuissem, quam exegeram, pecuniam uniuersam mittere; postularem, ut mihi succederetur. nunc quod Cassio dedi, quod Trebonij morte amisimus, quod etiam crudelitate Dolabellæ, aut perfidia eorum, qui mihi fidem, reiq; publ. non præstiterunt, ita consequi, & reficere uolo. quod aliter non potest fieri, nisi spatium habuero. id ut per te consequar, uelim, ut solet, tibi curæ sit. ego me de rep. ita puto esse meritum, ut non prouinciæ istius beneficium expectare debeam, sed tantum, quantum Cassius, & Bruti, non solum illius facti, periculiq; societate, sed etiam huius temporis studio, & uirtute. primus enim ego leges Antonianas fregi: primus equitatum Dolabellæ ad remp. traduxi, Cassioq; tradidi: primus delectus habui pro salute omnium contra

coniurationem sceleratissimam: solus Cassio, & reip. Syriam, exercitusq́;, qui ibi erant, coniunxi: nam nisi ego tantam pecuniã, tantaq́; præsidia, & tam celeriter Cassio dedissem; ne ausus quidem esset ire in Syriam, et nunc non minora pericula reip. à Dolabella instarent, quàm ab Antonio. atquæ hæc omnia is feci, qui et sodalis, et familiarissimus Dolabellæ eram, coniunctissimus sanguine Antonijs: prouinciã quoque illorũ beneficio habebã: sed πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν, omnibus meis bellum primus indixi. hæc etsi adhuc non magnopere mihi tulisse fructum animaduerto: tamen non despero, nec defatigabor permanere non solum in studio libertatis, sed etiam in labore, & periculis. attamen si etiam aliqua gloria iusta, & merita prouocabimur, senatus, et optimi cuiusque officijs; maiore cũ auctoritate apud cæteros erimus, et eo plus prodesse reip. poterimus. Filiũ tuum, ad Brutũ cum ueni, uidere non potui; ideo quòd iã in hiberna cum equitibus erat profectus. sed medius fidius ea esse eum opinione, et tua, et ipsius, et in primis mea causa gaudeo: fratris enim loco mihi est, qui ex te natus, teq́; dignus est. Vale. Data IIII cal. Iun. Pergæ.

P. LENTVLVS P. F. PRO QVAES. PRO PRAET. S. D. CONSS. PRAETT. TRIBB. PL. SENATVI, POPVLO, PLEBIQVE R.

SI ualetis, liberiq́; uestri ualent, bene est: ego quoque ualeo. Scelere Dolabellæ oppressa Asia in proximam prouinciam Macedoniã, præsidiaq́; reip. quæ M. Brutus uir clarissimus tenebat,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

me contuli; & id egi, ut, per quos celerrime posset, Asia prouincia, uectigaliaq; in uestram potestatem redigerentur. quod cum pertimuisset Dolabella; & uastata prouincia, correptis uectigalibus, præcipue ciuibus Romanis omnibus crudelissime denudatis, ac diuenditis, celerius Asia excessisset, quàm eò præsidium adduci potuisset: diutius morari, aut expectare præsidiū, non necesse habui: et quamprimum ad meum officium reuertendum mihi esse existimaui, ut & reliqua uectigalia exigerem, &, quam deposui, pecuniam colligerem: quidquid ex ea correptum esset, aut quorum id culpa accidisset, cognoscerem quamprimum, & uos de omni re facerem certiores. interim cum per insulas in Asiam nauiganti mihi nunciatum esset, classem Dolabellæ in Lycia esse, Rhodiosq; naues cõplures instructas, & paratas in aqua habere: cum ijs nauibus, quas aut mecum adduxeram, aut comparauerat Patiscus pro quæstore, homo mihi cũ familiaritate, tum etiã sensibus in rep. coniunctissimus, Rhodum reuerti, confisus auctoritate uestra, senatusq; consulto, quo hostem Dolabellam iudicaratis, fœdere quoque, quod cum ijs M. Marcello, Ser. Sulpicio cõsulibus renouatum erat, quo iurauerant Rhodij, eosdem hostes se habituros, quos se natus, populusq; R. quæ res nos uehementer fefellit: tantum enim abfuit, ut illorum præsidio nostram firmaremus classem, ut etiam à Rhodijs urbe, portu, statione, quæ extra urbem est, commeatu, aqua denique prohiberentur nostri milites, nos uix ipsi singulis cum nauigiolis reciperemur. quam indignitatem, diminutionemq; maiestatis nõ solum iuris nostri, sed etiam im-

perij, populiq; Riccirco tulimus, quòd interceptis literis cognoramus, Dolabellam, si desperasset de Syria, Aegyptoq;, quod necesse erat fieri, in naues cum omnibus suis latronibus, atque omni pecunia conscendere esse paratum, Italiamq; petere. iccirco etiam naues onerarias, quarum minor nulla erat duum millium amphorarum, contractas in Lycia à classe eius obsideri. huius rei timore P. C. percitus, iniurias perpeti, & cum contumelia etiam nostra omnia prius experiri malui. itaque ad illorum uoluntatem introductus in urbem, & in senatum eorum, quàm diligentissime potui, causam reip. egi: periculumq; omne, quod instaret, si ille latro cum omnibus suis naues conscendisset, exposui. Rhodios autem tanta in prauitate animaduerti; ut omnes firmiores putarent, quàm bonos; ut hanc concordiam, & conspirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem propense non crederent esse factam; ut patientiam senatus, & optimi cuiusque manere etiam nunc confiderent, nec potuisse audere quenquam, Dolabellam hostem iudicare; ut denique omnia, quæ improbi fingebant, magis uera existimarent, quàm quæ uere facta erant, & à nobis docebantur. qua mente etiam ante nostrum aduentum, post Trebonij indignissimam cædem, cæteraq; tot, tamq; nefaria facinora, binæ profectæ erant ad Dolabellam legationes eorum, & quidem nouo exemplo, contra leges ipsorum, prohibentibus ijs, qui tum magistratus gerebant. hæc siue timore, ut dictitant, de agris, quos in continenti habent, siue furore, siue potentia paucorum, qui & antea pari contumelia uiros clarissimos affecerant,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

& nunc maximos magistratus gerentes, nullo exemplo, neque uestra ex parte, neque nostro præsentium, neque imminenti Italiæ, urbiq; nostræ periculo, si ille parricida cum suis latronibus, nauibus, ex Asia, Syriaq; expulsus, Italiam petisset, mederi, cum facile possent, noluerunt. nonnullis etiam ipsi magistratus ueniebant in suspicionem, detinuisse nos, & demorati esse, dum Classis Dolabellæ certior fieret de aduentu nostro. quam suspicionem consecutæ res aliquot auxerunt, maxime quòd subito ex Lycia Sex. Marius, & C. Titius, legati Dolabellæ, à classe discesserunt, nauiq; longa profugerunt, onerarijs relictis, in quibus colligendis non minimum temporis, laborisq; consumpserunt. itaque cum à Rhodo cum ijs, quas habueramus, nauibus in Lyciam uenissemus, naues onerarias recepimus, dominisq; restituimus. ijdemq;, quod maxime uerebamur, ne posset Dolabella cum suis latronibus in Italiam uenire, timere desiimus. classem fugientem persecuti sumus usque ad Sydam, quæ extrema regio est prouinciæ meæ. ibi cognoui partem nauium Dolabellæ diffugisse, reliquas Syriam, Cyprumq; petisse. quibus dissectis, cum scirem C. Cassii, singularis ciuis, & ducis, classem maximam fore præsto in Syria: ad meum officium reuerti: daboq; operam, ut meum studium, & diligentiam uobis P. C. & reip. præstem, pecuniamq;, quàm maximam potero, & quàm celerrime, cogam, omnibusq; cum rationibus ad uos mittam. si percurrero prouinciam, & cognouero, qui nobis, & reip. fidem præstiterunt in conseruanda pecunia à me deposita, quiq; scelere ultro deferentes pecuniam publi-

eam hoc munere societatem facinorum cum Dolabella inierunt, faciam uos certiores. de quibus, si uobis uidebitur, si, ut meriti sunt, grauiter constitueritis, nosq; uestra auctoritate firmaueritis: facilius & reliqua exigere uectigalia, & exacta seruare poterimus. interea quo commodius uectigalia tueri, prouinciamq; ab iniuria defendere possim, præsidium necessarium, uoluntariumq; comparaui. His literis scriptis, milites circiter XXX, quos Dolabella ex Asia conscripse rat, è Syria fugientes in Pamphyliam uenerunt. hi nunciauerunt, Dolabellam Antiochiam, quæ in Syria est, uenisse, non receptum: conatum esse aliquoties ui introire, repulsum semper esse cum magno suo detrimento: itaque centum circiter amissis, ægrisq; complu ribus relictis, noctu Antiochia profugisse Laodiceam uersus: ea nocte omnes fere Asiaticos milites ab eo discessisse: ex his ad octingentos Antiochiam redijsse, & se ijs tradidisse, qui à Cassio relicti, urbi illi præerant: cæteros per Amanum in Ciliciam descendisse: quo ex numero se quoque esse dicebant: Cassium autem cum suis omnibus copijs nunciatum esse quatridui iter à Laodicea abfuisse tum, cum Dolabella eò tenderet. quamobrem opinione celerius confido sceleratissimum latronem pœnas daturum. IIII non. Iun. Pergæ.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

C. TREBONIVS M. CICERONI S.

S Iuales, bene eſt: ego quidem ualeo. Athenas ueni ad XI cal. Iun. atque ibi, quod maxime optabam, uidi filium tuum, deditum optimis ſtudijs, ſummáq; modeſtiæ fama. qua ex re quantam uoluptatem ceperim, ſcire potes etiam me tacente: non enim neſcis, quanti te faciam; & quàm pro noſtro ueterrimo, ueriſſimoq; amore omnibus tuis etiam minimis commodis, non modo tanto bono gaudeam. noli putare mi Cicero, me hoc auribus tuis dare. nihil adoleſcente tuo, atque adeo noſtro (nihil enim mihi à te poteſt eſſe ſeiunctum) aut amabilius omnibus ijs, qui Athenis ſunt, eſt; aut ſtudioſius earum artiũ, quas tu maxime amas, hoc eſt optimarum. itaque tibi, quod uere facere poſſum, libenter quoque gratulor, nec minus etiam nobis, quòd eum, quem neceſſe erat diligere, qualiſcunque eſſet, talem habemus, ut libenter quoque diligamus. qui cum mihi in ſermone iniecisſet, ſe uelle Aſiam uiſere; non modo inuitatus, ſed etiam rogatus eſt à me, ut id potiſſimum nobis obtinentibus prouinciam faceret. cui nos & caritate, et amore tuũ officium præſtaturos non debes dubitare. illud quoque erit nobis curæ, ut Cratippus una cum eo ſit; ne putes in Aſia feriatum illum ab ijs ſtudijs, in quæ tua cohortatione incitatur, futurum: nam illum paratum, ut uideo, & ingreſſum pleno gradu, cohortari non intermittemus, quo in dies longius diſcendo, exercendoq; ſe, procedat. Vos quid ageretis in rep. cum has literas dabam, non ſciebam. audiebam quædam turbulenta:

quæ scilicet cupio esse falsa; ut aliquando otiosa libertate fruamur: quod uel minime adhuc mihi contigit. ego tamen nactus in nauigatione nostra pusillum laxamenti, concinnaui tibi munusculum ex instituto meo: & dictum, cum magno nostro honore à te dictum, conclusi, & tibi infra subscripsi. in quibus uersiculis si tibi quibusdam uerbis εὐθυῤῥημονέστερος uidebor: turpitudo personæ eius, in quam liberius inuehimur, nos uindicabit. ignosces etiam iracundiæ nostræ, quæ iusta est in eiusmodi & homines, & ciues. deinde qui magis hoc Lucilio licuerit assumere libertatis, quàm nobis? cum, etiam si odio pari fuerit in eos, quos læsit, tamen certe non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate uerborum incurreret. tu, sicut mihi pollicitus es, adiunges me quamprimum ad tuos sermones. nanque illud non dubito, quin, si quid de interitu Cæsaris scribas, non patiaris me minimam partem & rei, & amoris tui ferre. Vale, & matrem, meosq; tibi commendatos habe. D. VIII cal. Iun. Athenis.

M. CICERO Q. CORNIFICIO COLLEGAE S.

GRata mihi uehemēter est memoria nostri tua, quam significasti literis: quam ut conserues, non quo de tua constantia dubitem, sed quia mos est ita rogandi, rogo. Ex Syria nobis tumultuosiora quædam nunciata sunt; quæ, quia tibi sunt propiora, quàm nobis, tua me causa magis mouent, quàm mea. Romæ summum otium est, sed ita, ut malis salubre aliquod, & honestum negotium: quod spero fore,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

quia uideo id curæ esse Cæsari. Me scito, dum tu absis, quasi occasionem quandam, & licentiam nactum, scribere audacius, & cætera quidem fortasse, quæ etiã tu concederes: sed proxime scripsi de optimo genere dicendi: in quo sæpe suspicatus sum te à iudicio nostro, sic scilicet, ut doctum hominem à non indocto, paululum dissidere. huic tu libro, maxime uelim ex animo; si minus, gratiæ causa suffragere. dicam tuis, ut eum, si uelint, describant, ad teq; mittant: puto enim, etiã si rem minus probabis, tamen in ista solitudine, quidquid à me profectũ sit, iucundum tibi fore. Quòd mihi existimationem tuam, dignitatemq; commendas: facis tu quidẽ omnium more: sed uelim, sic existimes, me cum amori, quem inter nos mutuum esse intelligam, plurimum tribuere, tum de summo ingenio, & de optimis tuis studijs, et de spe amplissimæ dignitatis ita iudicare, ut neminẽ tibi anteponam, comparem paucos. Vale.

CICERO CORNIFICIO COLLEGAE S. D.

Quod extremum fuit in ea epistola, quam à te proxime accepi, ad id primum respondebo: animaduerti enim hoc uos, magnos oratores, facere nonnunquã. Epistolas requiris meas. ego autem nunquam, cum mihi denunciatum esset à tuis, ire aliquem, non dedi. Quod mihi uideor ex tuis literis intelligere, te nihil cõmissurum esse temere, nec ante, quàm scisses, quò ille nescio qui Cæcilius Bassus erũperet, quidquam certi constituturũ: id ego et speraram prudentia tua fretus; et, ut confidere, fecerũt tuæ grauissimæ li-

teræ. idq; ut facias quamſæpiſſime, ut, & quid tu agas, & quid agatur, ſcire poſſim, & etiam quid actu rus ſis, ualde te rogo. etſi periniquo patiebar animo te à me digredi: tamen eo tempore me conſolabar, quòd & in ſummum otium te ire arbitrabar, et ab impendentibus magnis negotijs diſcedere. utrunque contra accidit: iſthic enim bellum eſt exortum, hic pax cõſecuta, ſed eiuſmodi pax, in qua, ſi adeſſes, multa te non delectarent, ea tamen, quæ ne ipſum Cæſarẽ quidem delectent: BELLORVM enim ciuilium ij ſemper exitus ſunt, ut non ea ſolum fiant, quæ uelit victor, ſed etiam ut ijs mos gerendus ſit, quibus adiutoribus parta ſit victoria. equidem ſic iam obdurui, ut ludis Cæſaris noſtri æquiſſimo animo uiderem T. Plancum, audirem Laberij, & Publij poemata. nihil mihi tã deeſſe ſcito, quàm quicum hæc familiariter, docteq; rideam. is tu eris, ſi quamprimum ueneris. quod ut facias, non mea ſolũ, ſed etiã tua intereſſe arbitror. Vale.

M. CICERO CORNIFICIO S.

LIbentiſſime legi tuas literas: in quibus iucundiſſimum mihi fuit, quòd cognoui meas tibi redditas eſſe. non enim dubitabam, quin eas libenter lecturus eſſes: uerebar, ut redderẽtur. Bellum, quod eſt in Syria, Syriamq; prouinciam tibi tributam eſſe à Cæſare, ex tuis literis cognoui. eandem rem tibi uolo bene, & feliciter euenire. quod ita fore confido, fretus & induſtria, & prudentia tua. ſed de Parthici belli ſuſpicione quod ſcribis, ſane me commouit quan-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

tum copiarum haberes, cum ipſe coniectura conſequi poteram, tum ex tuis literis cognoui. itaque opto, ne ſe illa gens moueat hoc tẽpore, dum ad te legiones eæ perducantur, quas audio duci. quòd ſi pares copias ad confligendum non habebis, non te fugiet uti conſilio M. Bibuli, qui ſe oppido munitiſſimo, & copioſiſſimo tandiu tenuit, quandiu in prouincia Parthi fuerunt. ſed hæc melius ex re, & ex tempore conſtitues. mihi quidem uſque curæ erit, quid agas, dum, quid egeris, ſciero. Literas ad te nunquam habui cui darem, quin dederim. à te, ut idem facias, peto, in primisq; , ut ita ad tuos ſcribas, ut me tuum ſentiant eſſe. Vale.

M. CICERO CORNIFICIO COLLEGAE S.

G Ratæ mihi tuæ literæ, niſi quòd Sinueſſanũ diuerſoriolum contempſiſti. quam quidem cõtumeliam uilla puſilla iniquo animo feret, niſi in Cumano, & Pompeiano reddideris πάντα τοῖς πάντων. ſic igitur facies, meq; amabis, & ſcripto aliquo laceſſes: ego enim reſpõdere facilius poſſum, quàm prouocare. quòd ſi, ut eſt, ceſſabis: laceſſam; ne tua ignauia etiam inertiã afferat. plura otioſus. hæc, cum eſſem in ſenatu, exaraui. Vale.

M. CICERO CORNIFICIO S.

C. Anitius, familiaris meus, uir omnibus rebus ornatus, negotiorum ſuorum cauſa legatus eſt in Africã legatione libera. eum uelim rebus omnibus adiuues, operamq; des, ut quamcõ-

modissime sua negotia conficiat. in primisq;, quod ei carissimum est, dignitatem eius tibi commendo: idq; à te peto, quod ipse in prouincia facere sum solitus nō rogatus, ut omnibus senatoribus lictores darem: quod idem acceperam, & cognoueram à summis uiris factitatū. hoc igitur mi Cornifici facies: cæterisq; rebus omnibus eius dignitati, reiq;, si me amas, consules. id erit mihi gratissimum. Da operam, ut ualeas.

M. CICERO S. P. D. CORNIFICIO.

NOs hic cum homine gladiatore omniū nequissimo, collega nostro, Antonio bellum gerimus, sed non pari conditione, contra arma uerbis. at etiam de te concionatur: nec impune: nam sentiet, quos lacesserit. ego autē acta ad te omnia arbitror perscribi ab alijs. à me futura debes cognoscere, quorum quidē non est difficilis coniectura. oppressa omnia sunt: nec habent ducem boni: nostriq; τυραννοκτόνοι longe gentium absunt. Pansa & sentit bene, & loquitur fortiter. Hirtius noster tardius conualescit. quid futurum sit, plane nescio. spes tamen una est, aliquādo populum R. maiorum similem fore. ego certe reip. non deero: & quidquid acciderit, à quo mea culpa absit, animo forti feram. illud profecto, quoad potero, tuam famam, & dignitatem tuebor. ad XIII cal. Ian. senatus frequens mihi est assensus cum de cæteris rebus magnis, & necessarijs, tum de prouincijs ab ijs, quī obtinerent, retinendis, neque cuiquam tradendis, nisi qui ex S. C. successisset. hoc ego cum reip. causa censui, tum mehercule in primis retinendæ dignitatis tuæ.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

quamobrem te amoris nostri causa rogo, reip. causa hortor, ut ne cui quidquam iuris in tua prouincia esse patiare, atque ut omnia referas ad dignitatem, qua nihil potest esse præstantius. uere tecum agam, ut necessitudo nostra postulat: in Sempronio, si meis literis obtemperasses, maximam ab omnibus laudem adeptus esses. sed illud & præterijt, et leuius est. hæc magna res est. fac, ut prouinciam retineas in potestate reip. plura scripsissem, nisi tui festinarent. itaque Cherippo nostro me, uelim, excuses. Vale.

M. CICERO CORNIFICIO S. D.

OMnem conditionẽ imperij tui, statumq; prouinciæ mihi demonstrauit Stratorius. multa intolerabilia locis omnibus. sed quo tua maior dignitas, eo, quæ tibi acciderunt, minus ferenda: neque enim, quæ tu propter magnitudinem et animi, & ingenij moderate fers, à te non ulciscenda sunt, etiã si non sint dolenda. sed hæc posterius. Rerum urbanarum acta tibi mitti certo scio. quòd ni ita putarem, ipse perscriberem, in primisq; Cæsaris Octauiani conatum. de quo multitudini fictum ab Antonio crimen uidetur, ut in pecuniam adolescentis impetum faceret. prudentes autem, & boni uiri & credunt factum, & probant. quid quæris? magna spes est in eo. nihil est, quod non existimetur laudis, et gloriæ causa facturus. Antonius autem, noster familiaris, tanto se odio esse intelligit, ut, cum interfectores suos domi comprehenderit, rem proferre non audeat. ad VII id. Oct.

Brundusium uenerat, profectus obuiam legionibus Macedonicis quatuor: quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easq; ad urbem adducere. & in ceruicibus nostris collocare. habes formã reip. si in castris potest esse resp. in qua tuam uicem sæpe doleo, quòd nullam partem per ætatem sanæ & saluæ reip. gustare potuisti. atque antehac quidem sperare saltem licebat, nunc etiam illud ereptum est. quæ enim spes est, cum in concione dicere ausus sit Antonius, Canutium apud eos locum sibi quærere, quibus se saluo locus in ciuitate esse non posset? equidem & hæc, & omnia, quæ homini accidere possunt, sic fero, ut magnam habeam philosophiæ gratiam; quæ me non modo à solicitudine abducit, sed etiã contra omnes fortunæ impetus armat. tibiq; idem censeo faciundum, nec, à quo culpa absit, quidquam in malis numerandum. sed hæc tu melius. Stratorium nostrum cum semper probassem, tum maxime in tuis rebus summam eius fidem, diligentiam, prudentiamq; cognoui. Da operam, ut ualeas. hoc mihi gratius facere nihil potes.

M. CICERO CORNIFICIO.

E Go nullum locum prætermitto (nec enim debeo) non modo laudandi tui, sed ne ornandi quidem. sed mea studia erga te, et officia malo tibi ex tuorum literis, quàm ex meis esse nota. te tamen hortor, ut omni cura in remp. incumbas. hoc est animi, hoc est ingenij tui, hoc eius spei, quam habere debes amplificandæ dignitatis tuæ. sed hac de re alias

ad te

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ad te pluribus: cum enim hæc scribebam, in expectatione erant omnia. nondum legati redierant, quos senatus non ad pacem deprecandam, sed ad bellum denuncian dum miserat, nisi legatorum nuncio paruisset. ego tamen, ut primũ occasio data est, meo pristino more remp. defendi: me principem senatui, populoq; R. professus sum: nec postea, quàm suscepi causam libertatis, minimum tempus amisi tuendæ salutis, libertatisq; communis. sed hæc quoque te ex alijs malo. T. Pinarium, familiarissimum meum, tanto tibi studio commendo, ut maiore non possim: cui cum propter omnes uirtutes, tum etiam propter studia cõmunia sum amicissimus. is procurat rationes, negotiaq; Dionysii nostri, quem et tu multum amas, et ego omnium plurimum. ea tibi ego non debeo commendare, sed commendo tamen. facias igitur, ut ex Pinarij, gratissimi hominis, literis tuum et erga illum, et erga Dionysium studium perspiciamus. Vale.

M. CICERO CORNIFICIO.

L Iberalibus literas accepi tuas, quas mihi Cornificius altero uicesimo die, ut dicebat, reddidit. eo die non fuit senatus, neque postero. Quinquatribus frequenti senatu causam tuam egi non inuita Minerua: etenim eo ipso die senatus decreuit, ut Minerua nostra, custos urbis, quam turbo deiecerat, restitueretur. Pansa tuas literas recitauit. magna senatus approbatio consecuta est cum summo gaudio, et offensione Minotauri, id est Caluisii, et Tauri. factum de te S. C. honorificum. postulabatur, ut etiam illi notarentur: sed Pansa clementior. ego mi Cornifici quo

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

die primum in ſpem libertatis ingreſſus ſum, et cunctantibus cæteris ad XIII. cal. Ian. fundamenta reip. iecì; eo ipſo die prouidi multum, atque habui rationem dignitatis tuæ: mihi enim eſt aſſenſus ſenatus de obtinendis prouincijs. nec uero poſtea deſiti labefactare eum, qui ſumma cum tua iniuria, contumeliáq; reip. prouinciam abſens obtinebat. itaque crebras, uel potius quotidianas compellationes meas non tulit, ſeq; in urbem recepit inuitus: neque ſolum ſpe, ſed certa re iam, & poſſeſſione deturbatus eſt. meo iuſtiſſimo, honeſtiſſimóq; conuicio te tuam dignitatem ſumma tua uirtute tenuiſſe, prouinciáq; honoribus ampliſſimis affectum, uehementer gaudeo. Quòd te mihi de Sempronio purgas: accipio excuſationem: fuit enim illud quoddam Græcum tempus ſeruitutis. Ego tuorum conſiliorum auctor, dignitatisq; fautor, iratus temporibus, in Græciam deſperata libertate rapiebar, cum me Eteſiæ, quaſi boni ciues, relinquentem remp. proſequi noluerunt: auſteráq; aduerſus maximo flatu me ad tribules tuos Rhegium retulit: atque inde uentis, remisq; in patriam omni feſtinatione properaui: poſtridieq; in ſumma reliquorum ſeruitute liber unus fui: ſic ſum in Antonium inuectus, ut ille non ferret, omnemq; ſuum uinolentum furorem in me unum effunderet, meq; cum elicere uellet ad cædis cauſam, tum tentaret inſidijs: quem ego ructantem, & nauſeantem conieci in Cæſaris Octauiani plagas: puer enim egregius præſidium ſibi primum, et nobis, deinde ſummæ reip. comparauit: qui niſi fuiſſet, Antonij reditus à Brunduſio peſtis patriæ fuiſſet. quæ deinceps acta ſint, ſcire te arbitror. ſed redeamus

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ad illud, unde diuertimus. Accipio excusationem tuam de Sempronio: *neque enim statuti quid in tanta perturbatione habere potuisti. nunc hic dies aliam uitam affert, alios mores postulat, ut ait* Terentius. *quamobrem mi* Quinte *conscende nobiscum, & quidem ad puppim. una nauis est iam bonorum omnium: quam quidem, nos damus operam, ut rectam teneamus, utinam prospero cursu: sed quicunque uenti erunt, ars nostra certe non abierit: quid enim præstare aliud uirtus potest? tu fac, ut animo magno sis, et excelso, cogitesq; omnem dignitatem tuam cum rep. coniunctam esse debere.* P. Lucceium *mihi meum commẽdas, quem, quibuscunque rebus potero, diligenter tuebor.* Hirtium *quidem, &* Pansam, *collegas nostros, homines in consulatu reip. salutares, alieno sane tempore amisimus, rep.* Antoniano *quidem latrocinio liberata, sed nondum omnino explicata: quam nos, si licebit, more nostro tuebimur: quanquam admodum sumus iam defatigati: sed* NVLLA *lassitudo impedire officium, et fidem debet. uerum hæc hactenus. ab alijs te de me, quàm à me ipso, malo cognoscere.* De te *audiebamus ea, quæ maxime uellemus.* De Cn. Minutio, *quem tu quibusdam literis ad cœlũ laudibus extuliſti, rumores duriores erant. id quale sit, omninoq; quid isthic agatur, facias me uelim certiorem.*

M. CICERO CORNIFICIO S.

Q. Turius, *qui in* Africa *negotiatus est, uir bonus, & honestus, hæredes fecit similes sui* Cn. Saturnium, Sex. Ausidium, Cn. Anneium, Q. Considium Gallum, L. Seruilium Posthu-

mum, Cn. Rubellinum. ex eorum oratione intellexi, gratiarum actione eos magis egere, quàm commendatione: tanta enim liberalitate se tua usos prædicabant, ut ijs plus à te tributum intelligerem, quàm ego auderem te rogare. audebo tamen: scio enim, quantum ponderis mea commendatio sit habitura. quare à te peto, ut ad eam liberalitatem, qua sine meis literis usus es, quammaximus his literis cumulus accedat. caput autem est meæ commendationis, ne patiare Erotem Turium, Q. Turij libertum, ut adhuc fecit, hæreditatem Turianam auertere: cæterisq; omnibus rebus habeas eos à me commendatissimos. magnam ex eorum splendore, & obseruantia capies uoluptatem. quod ut uelis, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. CICERO CORNIFICIO.

S Ex. Ausidius & obseruantia, qua me colit, accedit ad proximos: & splendore, equiti R. nemini cedit. est autem ita temperatis, moderatisq; moribus, ut summa seueritas summa cum humanitate iungatur. cuius tibi negotia, quæ sunt in Africa, ita commendo, ut maiore studio, magis'ue ex animo commendare non possim. pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat, meas apud te literas maximum pondus habuisse. hoc te uehementer mi Cornifici rogo. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CICERO CORNIFICIO.

A Sentior tibi, eos, quos scribis Lilybæo minari, isthic pœnas dare debuisse: sed metuisti, ut áis, ne nimis liber in ulciscendo uiderere. metuisti igitur, ne grauis ciuis, ne nimis fortis, ne nimis te dignus uiderere. Quòd societatem reip. conseruandæ tibi mecum à patre acceptam renouas, gratum est: quæ societas inter nos semper mi Cornifici manebit. Gratum etiam illud, quòd mihi tuo nomine gratias agendas non putas: nec enim id inter nos facere debemus. Senatus sæpius pro dignitate tua appellaretur, si absentibus consulibus unquam, nisi ad rem nouam, cogeretur. itaque nec de HS XX, nec de HS DCC quidquam agi nunc per senatum potest. tibi autem ex S. C. imperandum, mutuumq; sumendum censeo. In rep. quid agatur, credo te ex eorum literis cognoscere, qui ad te acta debent perscribere. ego sum spe bona: consilio, cura, labore non desum: omnibus inimicis reip. esse me acerrimum hostem præmefero. res neque nunc difficili loco mihi uidetur esse; & fuisset facillimo, si culpa à quibusdam abfuisset. Vale.

M. CICERO CORNIFICIO.

N On modo te, cui omnia nostra notissima sunt, sed neminem in populo R. arbitror esse, cui sit ignota ea familiaritas, quæ mihi cum L. Lamia est: etenim magno theatro spectata est tum, cum est ab A. Gabinio consule relegatus, quodlibere, & fortiter salutem meam defendisset. nec ex eo amor inter nos

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

natus est : sed quòd erat uetus, & magnus, propterea nullum periculum pro me adire dubitauit. ad hæc officia, uel merita potius, iucundissima consuetudo accedit, ut nullo prorsus plus homine delecter. non puto te iam expectare, quibus eum tibi uerbis commendem. causam enim tanti amoris intelligis. quæ uerba desideret, ijs me omnibus usum putato. tantum uelim, existimes, si negotia Lamiæ, procuratores, libertos, familiam, quibuscunque rebus opus erit, defenderis, gratius mihi futurum, quàm si ea tua liberalitas pertinuisset ad rem familiarem meam. nec dubito, quin sine mea commendatione, quod tuum est iudicium de hominibus, ipsius Lamiæ causa studiose omnia facturus sis. quanquam erat nobis dictum, te existimare alicui S. C. quod contra dignitatem tuam fieret, scribendo Lamiam affuisse : qui omnino consulibus illis nunquam affuit scribendo. deinde omnia tum falsa S. C. deferebantur. nisi forte etiam illi Semproniano S. C. me censes affuisse, qui ne Romæ quidem tũ fui, ut de eo ad te scripsi re recenti. sed hæc hactenus. te mi Cornifici etiam atque etiam rogo, ut omnia Lamiæ negotia, mea putes esse; curesq; , ut intelligat hanc commendationem maximo sibi usui fuisse. hoc mihi gratius facere nihil potes. Cura ut ualeas.

M. CICERO S. P. D. CORNIFICIO.

I Tá ne præter litigatores nemo ad te meas literas? multæ istæ quidem : tu enim perfecisti, ut nemo sine literis meis tibi se commendatum putaret. sed quis unquam tuorum mihi dixit

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

esse, cui darem, quin dederim? aut quid mihi iucundius, quàm, cum coram tecum loqui non possum, aut scribere ad te, aut tuas legere literas? illud magis mihi solet esse molestum, tantis me impediri occupationibus, ut ad te scribendi meo arbitratu facultas nulla detur: non enim te epistolis, sed uoluminibus lacesserem, quibus quidem me à te prouocari oporteret: quamuis enim occupatus sis, otij tamen plus habes: aut, si ne tu quidem uacas, noli impudens esse, nec mihi molestiam exhibere, & à me literas crebriores, cum tu mihi raras mittas, flagitare. nam cum antea distinebar maximis occupationibus, propterea quòd omnibus curis rempub. mihi tuendam putabam: tum hoc tempore multo distineor uehementius: ut enim grauius ægrotant ij, qui, cum leuati morbo uiderentur, in eum deintegro inciderunt, sic uehementius nos laboramus, qui, profligato bello, ac pene sublato, renouatum bellum gerere conamur. sed hæc hactenus. Tu tibi mi Cornifici fac ut persuadeas, non esse me tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, ut à te uinci possim aut officijs, aut amore. non dubitabam equidem: ueruntamen multo mihi notiorem amorem tuum effecit Cherippus. ò hominem semper illum quidem mihi aptũ, nunc uero etiam suauem. uultus mehercule tuos mihi expressit omnes: non solum animum, ac uerba protulit. itaque noli uereri, ne tibi succensuerim, quòd eodem exemplo ad me, quo ad cæteros. requisiui equidem proprias ad me unum à te literas, sed neque uehementer, & amanter. De sumptu, quem te in rem militarem facere, et fecisse dicis, nihil sane possum tibi opitulari, propterea quòd et orbus senatus

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

consulibus amissis, & incredibiles angustiæ pecuniæ publicæ: quæ conquiritur undique, ut optime meritis militibus promissa soluantur. quod quidem fieri sine tributo posse non arbitror. De Accio Dionysio nihil puto esse, quoniam mihi nihil dixit Stratorius. De P. Lucceio, nihil tibi concedo, quo studiosior eius sis, quàm ego sum: est enim nobis necessarius. sed à magistris cum contenderem de proferendo die, probauerunt mihi, sese, quo minus id facerent, & compromisso, & iureiurando impediri. quare ueniendum arbitror Lucceio. quanquam, si meis literis obtemperauit, cum tu hæc leges, illum Romæ esse oportebit. Cæteris de rebus, maximeq; de pecunia, cum Pansæ mortem ignorares, scripsisti, quæ per nos ab eo consequi te posse arbitrarere. quæ te non fefellissent, si uiueret: nam te diligebat. post mortem autem eius quid fieri posset, non uidebamus. De Venuleio, Latino, Horatio ualde laudo. illud non nimium probo, quòd scribis, quo illi animo æquiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademisse: honore enim digni cum ignominia dignis non erant comparandi: eosq; ex S. C. si non decedunt, cogendos, ut decedant, existimo. hæc fere ad eas literas, quas eodem exemplo binas accepi. De reliquo, uelim tibi persuadeas, non esse mihi meam dignitatem tua cariorem. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM, AD MEMMIVM, ET ALIOS, LIBER XIII.

M. CICERO S. D. C. MEMMIO.

ETSI *non satis mihi constiterat, cum aliquá ne animi mei molestia, an potius libenter te Athenis uisurus essem, quòd iniuria, quàm accepisti, dolore me afficeret, sapiẽtia tua, qua fers iniuriã, lætitia: tamen uidisse te mallem. nam quod est molestiæ, non sane multo leuius est, cum te non uideo: quod esse potuit uoluptatis, certe, si uidissem te, plus fuisset. itaque non dubitabo dare operã, ut te uideam, cum id satis cõmode facere potero. interea quod per literas & agi tecum, &, ut arbitror, confici potest, agã. nunc à te illud primũ rogabo, ne quid inuitus mea causa facias; sed id, quod mea intelliges multum, tua nullam in partem interesse, ita mihi des, si tibi, ut id libenter facias, ante persuaseris. Cũ Patrone Epicureo mihi omnia sunt, nisi quòd in philosophia uehementer ab eo dissentio. sed & initio Romæ, cum te quoque, & tuos omnes obseruabat, me coluit in primis: et nuper, cum ea, quæ uoluit, de suis cõmodis, & præmijs consecutus est, me habuit suorum defensorum, & amicorum fere principem: & iam à Phædro, qui nobis, cum pueri essemus, ante quàm Philonem cegnouimus, ualde, ut philosophus, postea tamen, ut uir bonus, & suauis, & officiosus, probabatur; traditus mihi, commẽ-*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

datusq; est, is igitur Patro, cum ad me Romam literas misisset, uti te sibi placarem, peteremq;, ut nescio quid illud Epicuri parietinarum sibi concederes: nihil scripsi ad te ob eam rem, quòd ædificationis tuæ consiliũ mea commendatione nolebam impediri. idem, ut ueni Athenas, cum, idem ut ad te scriberẽ, rogasset: ob eam causam impetrauit, quòd te abiecisse illam ædificationem constabat inter omnes amicos tuos. quod si ita est, & si iam plane tua nihil interest: uelim, si qua offensiuncula facta est animi tui peruersitate aliquorum, (noui enim gentem illã) des te ad lenitatem, uel propter tuam summam humanitatem, uel etiam honoris mei causa. equidem, si, quid ipse sentiam, quæris: nec cur ille tantopere contendat, uideo, nec cur tu repugnes: nisi tamẽ multo minus tibi concedi potest, quàm illi, laborare sine causa. quanquam Patronis & orationem, & causam tibi cognitam esse certo scio. honorẽ, officium, testamentorum ius, Epicuri auctoritatem, Phædri obtestationem, sedem, domicilium, uestigia summorum hominum sibi tuenda esse dicit. totam hominis uitam, rationemq;, quam sequitur in philosophia, derideamus, licet, si hanc eius contentionem uolumus reprehendere. sed mehercule quando illi, cæterisq;, quos illa delectant, non ualde inimici sumus: nescio, an ignoscendum sit huic, si tantopere laborat: in quo etiam si peccat, magis ineptijs, quàm improbitate peccat. sed ne plura: (dicendũ enim aliquando est) Pomponium Atticum sic amo, ut alterum fratrem. nihil est illo mihi nec carius, nec iucundius. is, non quo sit ex istis, (est enim omni liberali doctrina politissimus) sed ualde diligit Patronem, ualde

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Phædrum amauit: sic à me hoc contẽdit, homo minime ambitiosus, minime in rogitando molestus, ut nihil unquam magis. nec dubitat, quin ego à te nutu hoc consequi possim, ita etiam, si ædificaturus esses. nunc uero si audierit te ædificationem deposuisse, neque tamen me à te impetrasse; non te in me illiberalem, sed me in se negligentem putabit. quamobrem peto à te, ut scribas ad tuos, posse tua uoluntate decretum illud Areopagitarũ, quẽ κατομωμοσιὸν illi uocant, tolli. sed redeo ad prima. prius uelim, tibi persuadeas, ut hoc mea causa libenter facias, quàm ut facias. sic tamẽ habeto: si feceris, quod rogo, fore mihi gratissimum. Vale.

M. CICERO C. MEMMIO.

C Aio Auiano Euandro, qui habitat in tuo sacrario, & ipso multũ utor, & patrono eius M. Aemilio familiarissime. peto igitur à te maiorem in modum, quod sine tua molestia fiat, ut ei de habitatione accõmodes: nam propter opera instituta multa multorum, subitũ est ei remigrare cal. Quint. impedior uerecundia, ne te pluribus uerbis rogem. neque tamen dubito, quin, si tua nihil, aut non multum interfit, eo sis animo, quo ego essem, si quid tu me rogares. mihi certe gratissimum feceris. Vale.

M. CICERO C. MEMMIO.

A Vlum Fusium, unum ex meis intimis, obseruantissimum, studiosissimumq; nostri, eruditum hominẽ, et summa humanitate, tuaq; amicitia dignissimum, uelim ita tractes, ut mihi coram

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

recepiſti. tam mihi gratum id erit, quàm quod gratiſſimum. ipſum præterea ſummo officio, & ſumma obſeruantia tibi in perpetuum deuinxeris. Vale.

M. CICERO Q. VALERIO Q. F. ORCAE LEGATO PRO PRAET. S. D.

CVm municipibus Volaterranis mihi ſumma neceſſitudo eſt: magno enim meo beneficio affecti, cumulatiſſime mihi gratiam retulerunt: nam nec in honoribus meis, nec in laboribus unquam defuerunt. cũ quibus ſi mihi nulla cauſa intercederet, tamẽ, quòd te uehementiſſime diligo, quodq; me à te plurimi fieri ſentio, & monerem te, & hortarer, ut eorum fortunis conſuleres, præſertim cũ prope præcipuam cauſam haberent ad ius obtinendum: primum, quòd Syllani tẽporis acerbitatem deorum immortalium benignitate ſubterfugerunt: deinde, quòd ſummo ſtudio populi R. à me in conſulatu meo defenſi ſunt: cum enim tribuni pl. legẽ iniquiſſimam de eorum agris promulgaſſent, facile ſenatui, populoq; R. perſuaſi, ut eos ciues, quibus fortuna pepercifſet, ſaluos eſſe, uellent. hanc actionem meã C. Cæſar primo ſuo conſulatu in lege agraria comprobauit, agrumq; Volaterranum, & oppidum omni periculo in perpetuum liberauit: ut mihi dubium non ſit, quin is, qui nouas neceſſitudines adiungat, uetera ſua beneficia conſeruari uelit. quamobrem eſt tuæ prudentiæ, aut ſequi eius auctoritatem, cuius ſectam, atque imperium ſumma cũ tua dignitate ſecutus es; aut certe illi integram omnẽ cauſam reſeruare. illud uero dubitare non debes, quin tam graue, tam fir-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

mum, tam honeſtum municipiũ tibi tuo ſummo beneficio in perpetuum obligari uelis. ſed hæc, quæ ſcripta ſunt ſupra, eò ſpectant, ut te horter, & ſuadeam. reliqua ſunt, quæ pertinent ad rogandũ: ut non ſolum tua cauſa tibi conſilium me dare putes, ſed etiã, quod mihi opus ſit, me à te petere, & rogare. gratiſſimum igitur mihi feceris, ſi Volaterranos omnibus rebus integros, incolumesq; eſſe uolueris. eorum ego domicilia, ſedes, rem, fortunas, quæ et à dijs immortalibus, et à præſtantiſſimis in noſtra rep. ciuibus ſummo ſenatus, populiq; R. ſtudio cõſeruatæ ſunt, tuæ fidei, iuſtitiæ, bonitatiq; commendo. ſi pro meis priſtinis opibus facultatem mihi res hoc tempore daret, ut ita defendere poſſem Volaterranos, quẽadmodum conſueui tueri meos: nullum officium, nullũ denique certamẽ, in quo illis prodeſſe poſſem, prætermitterem. ſed quando apud te nihilo minus hoc tempore ualere me confido, quàm ualuerim ſemper apud omnes: pro noſtra ſumma neceſſitudine, pariq; inter nos, et mutua beneuolentia abs te peto, ut ita de Volaterranis mereare, ut exiſtiment eum quaſi diuino conſilio iſti negotio præpoſitum eſſe, apud quem unum nos eorum perpetui defenſores plurimum ualere poſſemus. Vale.

M. CICERO Q. VALERIO Q. F. ORCAE LEGATO PRO PRAET. S. P. D.

NOn moleſte fero, eam neceſſitudinem, quæ mihi tecum eſt, notam eſſe quamplurimis. neque tamen ob eam cauſam, quod tu optime exiſtimare potes, te impedio, quo minus ſuſceptum

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

negotium pro tua fide, & diligentia ex uoluntate Cæsaris, qui tibi rem magnam, difficilemq; commisit, gerere possis. nam cum multi à me petant multa, quòd de tua erga me uoluntate non dubitent; non committo, ut ambitione mea conturbem officium tuum. C. Curtio ab ineunte ætate familiarissime sum usus. eius & Syllani temporis iniustissima calamitate dolui: & cum ijs, qui similem iniuriam acceperant, amissis omnibus fortunis reditus tamen in patriam uolũtate omnium concedi uideretur, adiutor incolumitatis fui. is habet in Volaterrano possessionem, cum in eam tanquam è naufragio reliquias contulisset. hoc autem tempore eum Cæsar in senatum legit: quem ordinem ille ista possessione amissa tueri uix potest. grauissimum autem est, cum superior factus sit ordine, inferiorem esse fortuna: minimeq; conuenit, ex eo agro, qui Cæsaris iussu diuidatur, eum moueri, qui Cæsaris beneficio senator sit. sed mihi minus libet multa de æquitate rei scribere, ne causa potius apud te ualuisse uidear, quàm gratia. quamobrem te maiorem in modum rogo, ut C. Curtij rem, meam putes esse: quidquid mea causa faceres, ut id, C. Curtij causa cum feceris, meum existimes. quod ille per me habuerit, id me habere abs te putato. hoc te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CICERO Q. VALERIO Q. F. ORCAE S.

S

Iuales, bene est: ego quidē ualeo. Credo te memoria tenere, me et coram P. Cuspio tecū locutum esse, cum te prosequerer paludatum; et idem postea plurimis uerbis tecum egisse, ut, quoscū=que tibi eius necessarios cōmendarem, haberes eos in nu=mero meorum necessariorū. id tu pro tua summa erga me beneuolentia, perpetuaq; obseruantia mihi liberalissi=me, atque humanissime recepisti. Cuspius, homo in om=nes suos officiosissimus, mirifice quosdā homines ex ista prouincia tuetur, et diligit, propterea quòd fuit in Afri=ca bis, cū maximis societatis negotijs præesset. itaque hoc eius officium, quod adhibet erga illos, ego mea facultate, et gratia soleo, quantum possum, adiuuare. quare Cuspianorū omnium cōmendationis causam hac tibi epi=stola exponendam putaui. reliquis epistolis tantum fa=ciam, ut notā apponam eam, quæ mihi tecum conuenit, et simul significem de numero esse Cuspij amicorū. sed hanc cōmendationem, quam his literis cōsignare uolui, scito esse omnium grauissimam. nā P. Cuspius singula=ri studio contendit à me, ut tibi quamdiligentissime L. Iulium cōmendarem. eius ego studio uix uideor mihi sa=tisfacere posse, si utar uerbis ijs, quibus, cum diligen=tissime quid agimus, uti solemus. noua quædam postu=lat: et putat me eius generis artificiū quoddā tenere. ei ego pollicitus sum, me ex intima nostra arte deprōpturū mirificū genus commendationis. id quando assequi non possū, tu re, uelim, efficias, ut ille genere mearū literarū

incredibili quodam perfectum arbitretur. id facies, si omne genus liberalitatis, quod & ab humanitate, & potestate tua proficisci poterit, non modo re, sed etiam uerbis, uultu denique expresseris. quæ quantum in prouincia ualeant, uellem expertus esses. sed tamen suspicor ipsum hominem, quem tibi commendo, perdignum esse tua amicitia: nec id solum, quia mihi Cuspius dicit, credo, tametsi id satis esse debebat; sed quia noui eius iudicium in hominibus, & amicis deligendis. harum literarum uis quanta fuerit, propediē iudicabo, tibiq;, ut confido, gratias agam. ego, quæ te uelle, quæq; ad te pertinere arbitrabor, omnia studiose, diligenterq; curabo. Cura ut ualeas.

P. Cornelius, qui tibi has literas reddidit, est mihi à P. Cuspio cōmendatus. cuius causa quantopere cuperem, deberemq;, profecto ex me facile cognouisti. uehemēter te rogo, ut cures, ut ex hac cōmendatione mihi Cuspius quāmaximas, quāprimum, quāsæpissime gratias agat.

M. CICERO C. CLVVIO S. P. D.

CVm in Galliam proficiscens, pro nostra necessitudine, tuaq; summa in me obseruantia ad me domum uenisses, locutus sum tecum de agro uectigali municipij Atellani, qui esset in Gallia: quantoq; opere eius municipij causa laborarē, tibi ostendi. post tuam autem profectionem, cum & maxima res municipij honestissimi, mihiq; coniunctissimi, & summum meum officiū ageretur: pro tuo animo in me singulari existimaui me oportere ad te accuratius scribere:

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

bere: etsi non sum nescius, & quæ temporum ratio, et quæ tua potestas sit: tibiq; negotium datum esse à C. Cæsare, non iudicium, præclare intelligo. quare à te tantum peto, quantum & te facere posse, & libenter mea causa facturum esse arbitror. et primum uelim existimes, quod res est, municipij fortunas omnes in isto uectigali consistere; his autem temporibus hoc municipiũ maximis oneribus pressum, summis affectum esse difficultatibus. hoc etsi commune uidetur esse cum multis: tamen mihi crede singulares huic municipio calamitates accidisse. quas iccirco non commemoro, ne de miserijs meorum necessariorum conquerens, homines, quos nolo, uidear offendere. itaque nisi magnam spem haberem, C. Cæsari nos causam municipij probaturos: non erat causa, cur à te hoc tempore aliquid contenderem. sed quia confido, mihiq; persuasi, illum & dignitatis municipij, & æquitatis, & uoluntatis etiam erga se habiturum esse rationem: ideo à te non dubitaui contendere, ut hanc causam illi integram conseruares. quod etsi nihilo minus à te peterem, si nihil audiuissem te tale fecisse: tamen maiorem spem impetrandi nactus sum, posteaquam mihi dictum est, hoc idem à te Rhegienses impetrauisse. qui etsi te aliqua necessitudine attingunt: tamen tuus amor in me sperare me cogit, te, quod tuis necessarijs tribueris, idem esse tributurum meis: præsertim cum ego pro his unis petam, habeam autem, qui simili causa laborent, complures necessarios. hoc me non sine causa facere, neque aliqua leui ambitione commotum à te contendere, etsi te existimare arbitror: tamen mihi affirmanti credas uelim, me huic municipio

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

debere plurimum; nullum unquam fuisse tempus neque honorum, neque laborum meorum, in quo non huius municipij studium in me extiterit singulare. quapropter à te etiam atque etiam pro nostra summa coniunctione, proq; tua in me perpetua, & maxima beneuolentia maiorem in modum peto, atque contendo, ut, cum fortunas agi eius municipij intelligas, quod sit mihi necessitudine, officijs, beneuolentia coniunctissimum, id mihi des. quod erit huiusmodi, ut, si à Cæsare, quod speramus, impetrauerimus, tuo beneficio nos id consecutos esse iudicemus; sin minus, pro eo tamen id habeamus; quando à te data sit opera, ut impetraremus. hoc cum mihi gratissimum feceris; tum uiros optimos, homines honestissimos, eosdemq; gratissimos, & tua necessitudine dignissimos, summo beneficio in perpetuum tibi, tuisq; deuinxeris. Vale.

M. CICERO C. RVTILIO S. P. D.

CVm & mihi conscius essem quanti te facerem, & tuã erga me benuolentiam expertus essem; non dubitaui à te petere, quod mihi petendum esset. P. Sestium quanti faciam, ipse optime scio; quanti autem facere debeam, & tu, et omnes homines sciunt. is cum ex alijs te mei studiosissimum esse cognosceret, petiuit à me, ut ad te quamaccuratissime scriberem de re C. Albini senatoris: cuius ex filia natus est L. Sestius, optimus adolescens, filius P. Sestij. hoc iccirco scripsi, ut intelligeres non solum me pro P. Sestio laborare debere, sed Sestium etiam pro Albino. res autem hæc est. à M. Laberio C. Albinus prædia in

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

æstimationem accepit: quæ prædia Laberius emerat à Cæsare de bonis Plotianis. ea si dicam non esse è rep. diuidi, docere te uidear, non rogare. sed tamen, cum Cæsar Syllanas uenditiones, & assignationes ratas esse uelit, quo firmiores existimentur suæ: si ea prædia diuidentur, quæ ipse Cæsar uendidit, quæ tandem in eius uenditionibus esse poterit auctoritas? sed hoc quale sit, tu pro tua prudentia considerabis. ego te plane rogo, atque ita, ut maiore studio, iustiore de causa, magis ex animo rogare nihil possim, ut Albino parcas, prædia Laberiana ne attingas. magna me affeceris non modo lætitia, sed etiam quodam modo gloria, si P. Sestius homini maxime necessario per me satisfecerit, cum ego illi plurimum debeam. quod ut facias, te uehementer etiam atque etiam rogo. maius mihi dare beneficium nullum potes. id mihi intelliges esse gratissimum. Vale.

M. CICERO CRASSIPEDI S. P. D.

QVanquam tibi præsens commendaui, ut potui diligentissime, socios Bithyniæ; teq; cum mea commendatione, tum etiam tua sponte intellexi cupere ei societati, quibuscunque rebus posses, commodare: tamen cum ij, quorum res agitur, magni sua interesse arbitrarentur, me etiam per literas declarare tibi, qua essem erga ipsos uoluntate, non dubitaui hæc ad te scribere. uolo enim te existimare, me, cum uniuerso ordini publicanorum multum semper libentissime tribuerim, idq; pro magnis eius ordinis erga me meritis facere debuerim, tum in primis amicum esse huic

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Bithynicæ ſocietati: quæ ſocietas ordine ipſo, hominum genere pars eſt maxima ciuitatis: conſtat enim ex cæteris ſocietatibus: & caſu permulti ſunt in ea ſocietate ualde mihi familiares, in primisq; is, cuius præcipuum officium agitur hoc tempore, P. Rupilius P. F. Men. qui eſt magiſter in ea ſocietate. quæ cum ita ſint, maiorem in modum à te peto, Cn. Pupium, qui eſt in operis eius ſocietatis, omnibus tuis officijs, atque omni liberalitate tueare: cureſq;, ut eius operæ, quod tibi facile factu eſt, quamgratiſſimæ ſint ſocijs: remq;, & utilitatem ſociorum; cuius rei quantam poteſtatem quæſtor habeat, non ſum ignarus; per te quammaxime defenſam, & auctam uelis. id cum mihi gratiſſimum feceris: tum illud tibi expertus promitto, & ſpondeo, te ſocios Bithyniæ, ſi ijs commodaris, memores eſſe, & gratos cogniturum. Vale.

M. CICERO BRVTO S. P. D.

C Vm ad te tuus quæſtor M. Varro proficiſceretur, commendatione egere eum non putabam: ſatis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipſo more maiorum: qui, ut te non fugit, hanc quæſturæ coniunctionem liberorum neceſſitudini proximam uoluit eſſe. ſed cum ſibi ita perſuaſiſſet ipſe, meas de ſe accurate ſcriptas literas maximum apud te pondus habituras; à meq; contenderet, ut quamdiligentiſſime ſcriberem: malui facere, quod meus familiaris tanti ſua intereſſe arbitraretur. ut igitur debere me facere hoc intelligas: cumprimum M. Terentius in forum uenit, ad amicitiam ſe meam contulit. deinde ut

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

se corroborauit, duæ causæ accesserunt, quæ meam in illum beneuolentiam augerent: una, quòd uersabatur in hoc studio nostro, quo etiam nunc maxime delectamur; & cum ingenio, ut nosti, nec sine industria: deinde, quòd mature se contulit in societates publicanorum: quod quidem nollem: maximis enim damnis affectus est. sed tamen causa communis ordinis mihi commendatissimi fecit amicitiam nostram firmiorem. deinde uersatus in utrisque subsellijs optima & fide, & fama, iam ante hanc commutationem reip. petitioni sese dedit, honoremq; honestissimum existimauit fructum laboris sui. his autem temporibus à me Brundusio cum literis, & mandatis profectus est ad Cæsarem. qua in re et amorem eius in suscipiendo negotio perspexi, et fidem in conficiendo, ac renunciando. uideor mihi, cum separatim de probitate eius, & moribus dicturus fuissem, si prius causam, cur eum tantopere diligerem, tibi exposuissem, in ipsa causa exponenda satis etiam de probitate dixisse. sed tamen separatim promitto, in meq; recipio, fore eum tibi & uoluptati, & usui: nam & modestum hominem cognosces, et prudentem, & à cupiditate omni remotissimum, præterea magni laboris, summæq; industriæ. neque ego hæc polliceri debeo, quæ tibi ipsi, cum bene cognoueris, iudicanda sunt: sed tamen IN omnibus nouis coniunctionibus interest, qualis primus aditus sit, et qua commendatione quasi amicitiæ fores aperiantur. quod ego his literis efficere uolui: etsi id ipsa per se necessitudo quæsturæ effecisse debet: sed tamen nihilo infirmius illud hoc addito. cura igitur, si me tanti facis, quanti & Varro existimat, & ipse sen-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

tio, ut quamprimum intelligam, hanc meam commendationem tantum illi utilitatis attuliſſe, quantum & ipſe ſperarit, nec ego dubitarim. Vale.

M. CICERO BRVTO S. P. D.

Q Via ſemper animaduerti, ſtudioſe te operam dare, ut ne quid meorum tibi eſſet ignotum: propterea non dubito, quin ſcias, non ſolum cuius municipij ſim, ſed etiam, quàm diligenter ſoleam meos municipes Arpinates tueri. quorum quidem omnia commoda, omnesq; facultates, quibus & ſacra conficere, & ſarta tecta ædium ſacrarum, locorumq; communium tueri poſſint, conſiſtunt in ijs uectigalibus, quæ habent in prouincia Gallia. ad ea uiſenda, pecuniasq;, quæ à colonis debentur, exigendas, totamq; rem & cognoſcendam, & adminiſtrandam legatos equites Romanos miſimus Q. Fuffidium Q. F. M. Faucium M. F. Q. Mamercum Q. F. peto à te maiorem in modum pro noſtra neceſſitudine, ut ea res tibi curæ ſit; operamq; des, ut per te quamcommodiſſime negotium municipij adminiſtretur, quamprimumq; conficiatur; ipſosq;, quorum nomina ſcripſi, ut quamhonorificentiſſime pro tua natura, & quamliberaliſſime tractes. bonos uiros ad tuam neceſſitudinem adiunxeris, municipiumq; gratiſſimũ beneficio tuo deuinxeris: mihi uero etiam eo gratius feceris, quòd cum ſemper tueri municipes meos conſueui, tum hic annus præcipue ad meam curam, officiumq; pertinet: nam conſtituendi municipij cauſa hoc anno ædilem filium meum fieri uolui, & fratris filium, & M. Cæſium, hominem mihi ma-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

xime necessarium: (is enim magistratus in nostro municipio, nec alius ullus, creari solet) quos cohonestaris, in primisq; me, si resp. municipij, tuo studio, & diligentia bene administrata erit. quod ut facias, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. CICERO BRVTO S. D.

A Lia epistola communiter cõmendaui tibi legatos Arpinatum, ut potui diligẽtissime. hac seorsum Q. Fuffidium, quocum mihi omnes necessitudines sunt, diligentius cõmendo, non ut aliquid de illa commendatione deminuam, sed ut hanc addam. nam et priuignus est M. Cæsij, mei maxime et familiaris, et necessarij: et fuit in Cilicia mecum tribunus mil. quo in munere ita se tractauit, ut accepisse ab eo beneficium uiderer, non dedisse. est præterea, quod apud te ualet plurimũ, à nostris studijs nõ abhorrens. quare uelim, eum quamliberalissime complectare; operamq; des, ut in ea legatione, quam suscepit contra suum cõmodum, secutus auctoritatem meam, quãmaxime eius excellat industria: uult enim, id quod optimo cuique natura tributũ est, quãmaximam laudem cum à nobis, qui eũ impulimus, tũ à municipio consequi. quod ei cõtinget, si hac mea cõmendatione tuum erga se studiũ erit consecutus. Vale.

M. CICERO BRVTO S. D.

L. Castronius Pætus, longe princeps municipij Lucensis, est honestus, grauis, plenus officij, bonus plane uir, & cum uirtutibus, tum etiam fortuna, si quid hoc ad rem pertinet,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ornatus : meus autem est familiarissimus, sic prorsus, ut nostri ordinis obseruet neminem diligentius. quare & ut meum amicum, & ut tua dignum amicitia tibi cõmendo. cui quibuscunque rebus commendaueris, tibi profecto iucundum, mihi certe erit gratum. Vale.

M. CICERO BRVTO S. D.

L. Titione Strabone, equite Romano in primis honesto, & ornato, familiarissime utor. omnia mihi cum eo intercedunt iura summæ necessitudinis. huic in tua prouincia pecuniam debet P. Cornelius. eares à Volcatio, qui Romæ ius dicit, reiecta in Galliam est. peto à te hoc diligentius, quàm si mea res esset, quo est honestius de amicorum pecunia laborare, quàm de sua, ut negotium conficiendũ cures, ipse suscipias, transigas; operamq; des, quod tibi æquũ, & rectum uidebitur, ut quamcommodissima conditione libertus Strabonis, qui eius rei causa missus est, negotium conficiat, ad nummosq; perueniat. id & mihi gratissimum erit: & tu ipse L. Titionem cognosces amicitia tua dignissimum. quod ut tibi curæ sit, ut omnia solent esse, quæ me uelle scis, te uehementer etiã atque etiam rogo. Vale.

M. CICERO C. CAESARI IMP. S.

P. Rælium tibi cõmendo unice, tui necessarij, mei familiarissimi, uiri optimi filium. quem cum adolescentẽ ipsum propter eius modestiã, humanitatem, animum, & amorem erga me singularem mirifice diligo: tum patrẽ eius, re doctus, intellexi,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

& didici mihi fuisse semper amicissimum. en hic ille est, de illis maxime, qui irridere, atque obiurgare me soliti sunt, quòd me non tecum, præsertim cum abs te honorificentissime inuitarer, coniungerem. ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθεν: audiebam enim nostros proceres clamitantes, ἄλκιμος ἔσσ' ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ. ὡς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα. sed tamen idem me consolatur. et iam hominem perustum, etiamnum gloria uolunt incendere, atque ita loquuntur. μὴ μὲν ἀσπουδεῖ γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην, Αλλὰ μέγα ῥέξασ' τὶ καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. sed me minus iam mouent, ut uides. itaque ab Homeri magniloquentia confero me ad uera præcepta Εὐριπίδου. Μισῶ σοφιστὴν, ὅς τις οὐχ αὑτῷ σοφός. quem uersum senex Præcilius laudat egregie: & ait posse eundem & ἅμα πρόσω, καὶ ὀπίσω uidere, et tamen nihilo minus αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. sed ut redeam ad id, unde cœpi: uehementer mihi gratum feceris, si hunc adolescentem humanitate tua, quæ est singularis, comprehenderis, & ad id, quod ipsorum Præciliorum causa te uelle arbitror, addideris cumulum commendationis meæ. genere nouo sum literarum ad te usus, ut intelligeres non uulgarem esse commendationem. Vale.

M. CICERO C. CAESARI IMP. S.

P. Crassum ex omni nobilitate adolescentem dilexi plurimum: & ex eo, cum ab ineunte eius ætate bene sperauissem, tum optime existimare cœpi ex ijs iudicijs, quæ de eo feceram, co=

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

cognitis. eius libertum Apollonium iam tum equidem, cum ille uiueret, & magnifaciebam, & probabam: erat enim & ſtudioſus Craſſi, & ad eius optima ſtudia uehemẽter aptus: itaque ab eo admodum diligebatur. poſt mortem autem Craſſi, eo mihi etiam dignior uiſus eſt, quem in fidem, atque amicitiam meam reciperem, quòd eos à ſe obſeruandos, & colẽdos putabat, quos ille dilexiſſet, & quibus carus fuiſſet: itaque & ad me in Ciliciam uenit; multisq; in rebus mihi magno uſui fuit & fides eius, & prudentia: &, ut opinor, tibi in Alexandrino bello, quantum ſtudio, & fidelitate conſequi potuit, non defuit. quod cum ſperaret, te quoque ita exiſtimare, in Hiſpaniam ad te, maxime ille quidem ſuo conſilio, ſed etiã me auctore eſt profectus. cui ego commendationem non ſum pollicitus: non quin eam ualiturã apud te arbitrarer: ſed neque mihi egere commendatione uidebatur, qui & in bello tecum fuiſſet, & propter memoriam Craſſi de tuis unus eſſet: et ſi uti commendationibus uellet, etiam per alios eum uidebam id conſequi poſſe. teſtimonium meum de eo iudicij, quod & ipſe magni æſtimabat, & ego apud te ualere eram expertus, ei libenter dedi. doctum igitur hominẽ cognoui, & ſtudijs optimis deditum, idq; à puero: nam domi meæ cum Diodoto Stoico, homine, meo iudicio, eruditiſſimo, multum à puero fuit. nunc autem incenſus ſtudio rerum tuarum, eas literis Græcis mandare cupiebat. poſſe arbitror: ualet ingenio: habet uſum: iam pridem in eo genere ſtudij, literarumq; uerſatur: ſatisfacere immortalitati laudũ tuarum mirabiliter cupit. habes opinionis meæ teſtimonium: ſed

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

tu hoc facilius multo pro tua singulari prudentia iudicabis: & tamen, quod negaueram, cõmendo tibi eum. quidquid ei commodaueris, erit mihi maiorem in modum gratum. Vale.

M. CICERO SER. SVLPICIO S. D.

M. Curius, qui Patris negotiatur, multis, & magnis de causis à me diligitur. nam & amicitia peruetus mihi cum eo est, ut primũ in forum uenit, instituta: et Patris cum aliquoties antea, tum proxime hoc miserrimo bello domus eius tota mihi patuit: qua, si opus fuisset, tã essem usus, quàm mea. maximum autem mihi uinculũ cum eo est, quasi sanctioris cuiusdam necessitudinis, quòd est Attici nostri familiarissimus, eumq; unum præter cæteros obseruat, ac diligit. quem si tu iam forte cognouisti, puto me hoc, quod facio, facere serius: ea enim est humanitate, & obseruantia, ut eum tibi iam ipsum per se cõmendatum putem. quod tamen si ita est, magnopere à te quæso, ut ad eam uoluntatem, si quã in illum antehas meas literas contulisti, quammaximus postea commendatione cumulus accedat. sin autem propter uerecundiam suam minus se tibi obtulit, aut eum nondum satis habes cognitum, aut quæ causa est, cur maioris commendationis indigeat: sic tibi eum commendo, ut neque maiore studio quenquã, neque iustioribus de causis commendare possim. faciamq; id, quod debent facere ij, qui religiose, & sine ambitione cõmendant: spondebo enim tibi, uel potius spondeo, in meq; recipio, eo esse

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. Curij mores, eamq; tum probitatem, tum etiam humanitatem, ut eum & amicitia tua, & tam accurata commendatione, si tibi sit cognitus, dignum sis existimaturus. mihi certe gratissimum feceris, si intellexero has literas tantum, quantum scribens confidebam, apud te pondus habuisse. Vale.

M. CICERO SER. SVLPICIO S.

NOn concedam, ut Attico nostro, quem elatũ lætitia uidi, iucundiores tuæ suauissimè ad eum, & humanissime scriptæ literæ fuerint, quàm mihi. nam etsi utrique nostrum prope æque gratæ erant: tamen ego admirabar magis, te, quasi rogatus, aut certe admonitus liberaliter Attico respondisses, (quod tamen dubium nobis, quin ita futurum fuerit, non erat) ultro ad eum scripsisse, eiq; nec opinanti uoluntatem tuam tantam per literas detulisse. de quo nõ modo rogare te, ut eo studiosius mea quoque causa facias, non debeo, (nihil enim cumulatius fieri potest, quàm polliceris) sed ne gratias quidem agere; quòd tu & ipsius causa, & tua sponte feceris. illud tamen dicam, mihi id, quod feciſti, esse gratissimum. tale enim tuum iudicium de homine eo, quem ego unice diligo, non potest mihi non summe esse iucundum. quod cum ita sit, esse gratum necesse est. sed tamen quando mihi pro coniunctione nostra uel peccare apud te in scribendo licet: utrunque eorum, quæ negaui mihi facienda esse, faciam. nam & ad id, quod Attici causa te ostendisti esse facturum, tantum uelim addas, quantum ex no-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ſtro amore acceſſionis fieri poteſt: &, quod modo uerebar, tibi gratias agere, nunc plane ago: teq; ita exiſtimare uolo, quibuſcunque officijs in Epiroticis, reliquisq; rebus Atticum obſtrinxeris, ijſdem me tibi obligatum fore, Vale.

M. CICERO SER. SVLPICIO S. P. D.

C Vm Lyſone Patrenſi eſt mihi quidem hoſpitiũ uetus, quam ego neceſſitudinem ſancte colendam puto: ſed ea cauſa etiam cum alijs compluribus; familiaritas tanta nullo cum hoſpite, & ea cum officijs eius multis, tum etiam conſuetudine quotidiana ſic eſt aucta, ut nihil ſit familiaritate noſtra cõiunctius. is cum Romæ annũ prope ita fuiſſet, ut mecum uiueret, etſi eramus in magna ſpe, te meis literis, commendationeq; diligentiſſime facturum id, quod feciſti, ut eius rem, & fortunas abſentis tuerere: tamen, quòd in unius poteſtate erãt omnia, & quòd Lyſo fuerat in noſtra cauſa, noſtrisq; præſidijs, quotidie aliquid timebamus. effectum tamen eſt & ipſius ſplendore, et noſtro, reliquorumq; hoſpitum ſtudio, ut omnia, quæ uellemus, à Cæſare impetrarentur. quod intelliges ex ijs literis, quas Cæſar ad te dedit. nunc non modo non remittimus tibi aliquid ex noſtra commendatione, quaſi adepti iam omnia; ſed eo uehementius à te contendimus, ut Lyſonem in fidem, neceſſitudinemq; tuam recipias. cuius dubia fortuna timidius tecum agebamus, uerentes, ne quid accideret eiuſmodi, ut ne tu quidem mederi poſſes. explorata uero eius incolumitate, omnia à te ſtudia ſumma cura peto. quæ ne ſingula enume-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

rem, totam tibi domum cõmendo, in his adoleſcentem filium eius: quem C. Memmius Gemellus, cliens meus, cum in calamitate exilij ſui Patrenſis ciuis factus eſſet, Patrenſiũ legibus adoptauit: ut eius ipſius hæreditatis ius, cauſamq; tueare. caput illud eſt, ut Lyſonem, quẽ ego uirum optimum, gratiſſimumq; cognoui, recipias in neceſſitudinẽ tuam. quod ſi feceris, non dubito, quin in eo diligendo, cæterisq; poſtea cõmendando, idem, quod ego, ſis iudicij, & uoluntatis habiturus. quod cũ fieri uehementer ſtudeo: tum etiã illud uereor, ne, ſi minus cumulate uideberis feciſſe aliquid eius cauſa, me ille negligenter ſcripſiſſe de ſe putet, non te oblitum mei: quanti enim me faceres, cum ex ſermonibus quotidianis meis, tum ex epiſtolis etiam tuis potuit cognoſcere. Vale.

M. CICERO SER. SVLPICIO S. P. D.

A Sclapone Patrenſi medico utor ualde familiariter: eiusq; tũ conſuetudo mihi iucũda fuit, tum etiã ars, quam ſum expertus in ualetudine meorũ: in qua mihi tum ipſa ſcientia, tũ etiam fidelitate, beneuolentiaq; ſatisfecit. hunc igitur tibi cõmendo: & à te peto, ut des operam, ut intelligat, diligẽter me ſcripſiſſe de ſe, meamq; cõmendationem uſui magno ſibi fuiſſe. erit id mihi uehementer gratum. Vale.

M. CICERO SER. SVLPICIO S. P. D.

M. Aemilius Auianus ab ineunte adoleſcentia me obſeruauit, ſemperq; dilexit, uir cum bonus, tum perhumanus, & in omni genere officij diligendus. quem ſi arbitrarer eſſe Sycio-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ne, & nisi audirem, ibi eum etiam nunc, ubi ego reliqui, Cibyræ commorari: nihil esset necesse plura me ad te de eo scribere: perficeret enim ipse profecto suis moribus, suaq; humanitate, ut sine cuiusquam commendatione diligeretur abs te non minus, quàm & à me, & à cæteris suis familiaribus. sed cum illum abesse putẽ, commendo tibi maiorem in modum domum eius, quæ est Sycione, remq; familiarem, maxime C. Auianum Ammonium libertum eius: quem quidem tibi etiã suo nomine commendo: nam cum propterea mihi est probatus, quòd est in patronum suum officio, & fide singulari; tum etiam quòd in me ipsum magna officia cõtulit, mihiq; molestissimis temporibus ita fideliter, beneuoleq; præsto fuit, ut si à me manumissus esset. itaque peto à te, ut eum Ammonium & in patroni eius negotio sic tueare, ut eius procuratorem, quem tibi cõmendo: & ipsum suo nomine diligas, habeasq; in numero tuorum. hominem pudentem, & officiosum cognosces, & dignum qui à te diligatur. Vale.

M. CICERO SER. SVLPICIO S. P. D.

T. Manlium, qui negotiatur Thespijs, uehementer diligo. nam & semper me coluit, diligentissimeq; obseruauit: & à studijs nostris non abhorret. accedit eò, quòd Varro Murena magnopere eius causa uult omnia. qui ita existimauit, etsi suis liberis, quibus tibi Manlium commendabat, ualde confideret, tamen mea commendatione aliquid accessionis fore. me quidem cum Manlij familiaritas, tum Var-

ronis ſtudium commouit, ut ad te quamaccuratiſſime ſcriberem. gratiſſimum igitur mihi feceris, ſi huic commendationi meæ tantum tribueris, quantum cui tribuiſti plurimum, id eſt ſi T. Manlium quammaxime, quibuſcunque rebus honeſte, ac pro tua dignitate poteris, iuueris, atque ornaueris. ex ipſius præterea gratiſſimis, & humaniſſimis moribus, confirmo tibi, eum te, quem ſoles fructum à bonorum uirorum officijs expectare, eſſe capturum. Vale.

M. CICERO SER. SVLPICIO S. P. D.

L. Coſſinio, amico, & tribuli meo, ualde familiariter utor. nam & inter noſmet ipſos uetus uſus intercedit: & Atticus noſter maiorem etiam mihi cum Coſſinio conſuetudinem fecit: itaque tota Coſſinij domus me diligit, in primisq; libertus eius L. Coſſinius Anchialus, homo & patrono, & patroni neceſſarijs, quo in numero ego ſum, probatiſſimus. hunc tibi ita commendo, ut, ſi meus libertus eſſet, eodemq; apud me loco eſſet, quo et eſt apud patronum ſuum, maiore ſtudio commendare non poſſem. quare pergratum mihi feceris, ſi eum in amicitiam tuá receperis, atque eum, quod ſine moleſtia tua fiat, ſi qua in re opus ei fuerit, iuueris. id & mihi uehementer gratum erit, & tibi poſtea iucundum: hominem enim ſumma probitate, humanitate, obſeruantiáq; cognoſces. Vale.

M. CICERO

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CICERO SER. SVLPICIO S. D.

CVm antea capiebam ex officio meo uoluptatem; quòd memineram, quàm tibi diligenterer Lysonem, hospitem, et familiarem meũ, commendassem: tum uero posteaquam ex literis eius cognoui, tibi eum falso suspectum fuisse: uehementissime lætatus sum, me tam diligentem in eo cõmendando fuisse. ita enim scripsit ad me, sibi meam commendationem maximo adiumento fuisse; quòd ad te delatum diceret, sese contra dignitatem tuam Romæ de te loqui solitum esse. de quo etsi pro tua facilitate, & humanitate purgatum se tibi scribit esse: tamen primum, ut debeo, tibi maximas gratias ago, cum tantum literæ meæ potuerunt, ut ijs lectis omnem offensionem suspicionis, quam habueras de Lysone, deponeres: deinde, credas mihi affirmanti, uelim, me hoc non pro Lysone magis, quàm pro omnibus, scribere; hominem esse neminem, qui unquam mentionem tui sine tua summa laude fecerit. Lyso uero cum mecum prope quotidie esset, unáq; uiueret; non solum quia me libenter audire arbitrabatur, sed quia libentius ipse loquebatur, omnia mihi tua & facta, & dicta laudabat. quapropter etsi à te ita tractatur, ut iam non desideret commendationem meam; unisq; se literis meis omnia consecutum putet: tamen à te peto maiorem in modum, ut eum etiam atque etiam tuis officijs, liberalitate complectare. scriberem ad te, qualis uir esset, ut superioribus literis feceram; nisi eum iam per se ipsum tibi satis esse notum arbitrarer. Vale.

M. CICERO SER. SVLPICIO S. D. P.

H Ageſaretus Lariſſæus magnis meis beneficijs ornatus in conſulatu meo, memor, & gratus fuit, meq; poſtea diligentiſſime coluit. eum tibi magnopere commendo, ut & hoſpitem, et familiarem meum, & gratum hominem, & uirum bonum, & principem ciuitatis ſuæ, & tua neceſſitudine digniſſimum. pergratum mihi feceris, ſi dederis operam, ut is intelligat, hanc meam commendationem magnum apud te pondus habuiſſe. Vale.

M. CICERO SER. SVLPICIO S. D. P.

L. Meſcinius ea mecum neceſſitudine coniunctus eſt, quòd mihi quæſtor fuit. ſed hanc cauſam, quam ego, ut à maioribus accepi, ſemper grauem duxi, fecit uirtute, & humanitate ſua iuſtiorem. itaque eo ſic utor, ut nec familiarius ullo, nec libentius. is, quanquam confidere uidebatur, & ſua cauſa, quæ honeſte poſſes, te libenter eſſe facturum: magnum tamen eſſe ſperauit apud te meas quoque literas pondus habituras. id cum ipſe ita iudicabat: tum pro familiari conſuetudine ſæpe ex me audierat, quàm ſuauis eſſet inter nos, & quanta coniunctio. peto igitur à te, tanto ſcilicet ſtudio, quanto intelligis debere me petere pro homine tam mihi neceſſario, & tam familiari; ut eius negotia, quæ ſunt in Achaia: ex eo quòd hæres eſt M. Mindio fratri ſuo, qui Elide negotiatus eſt, expli ces, & expedias tum iure, & poteſtate, quam habes, tum etiam auctoritate, & conſilio tuo: ſic enim perſcri

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

pſimus ijs, quibus ea negotia mandauimus, ut omnibus in rebus, quæ in aliquam controuerſiam uocarentur, te arbitro, & , quod commodo tuo fieri poſſet, te diſceptatore uterentur. id ut honoris mei cauſa ſuſcipias, uehementer te etiam atque etiam rogo. illud præterea, ſi non alienum à tua dignitate putabis eſſe, feceris mihi pergratum; ſi qui difficiliores erunt, ut rem ſine controuerſia confici nolint, ſi eos, quando cum ſenatore res eſt, Romam reieceris. quod quo minore dubitatione facere poſſis, literas ad te à M. Lepido conſule, non quæ te aliquid iuberent, (neque enim id tuæ dignitatis eſſe arbitrabamur) ſed quodam modo quaſi commendaticias ſumpſimus. ſcriberem, quàm id beneficium bene apud Meſcinium poſiturus eſſes; niſi & te ſcire confiderem, & mihi peterem: ſic enim, uelim, exiſtimes, non minus me de illius re laborare, quàm ipſum de ſua. ſed cum illum ſtudeo quamfacillime ad ſuum peruenire: tum illud laboro, ut non minimum hac mea commendatione ſe conſecutum arbitretur. Vale.

M. CICERO SER. SVLPICIO S.D.P.

Licet, eodem exemplo ſæpius tibi huius generis
L *literas mittam, cum gratias agam, quòd meas commendationes tam diligenter obſerues; quod feci in alijs, & faciam, ut uideo, ſæpius: ſed tamen non parcam operæ; &, ut uos in ueſtris formulis, ſic ego in epiſtolis de eadem re alio modo.* C. Auianus igitur Ammonius incredibiles mihi gratias per literas egit & ſuo, et Aemilij Auiani, patroni ſui, nomine, nec liberalius, nec honorificentius potuiſſe tractari nec

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

se præsentem, nec rem familiarem absentis patroni sui. id mihi cum iucundum est eorum causa, quos ego tibi, summa necessitudine, & summa coniunctione adductus, commendaueram; quod M. Aemilius unus est ex meis familiarissimis, atque intimis maxime necessarius, homo & magnis meis beneficijs deuinctus, & prope omnium, qui mihi aliquid debere uidentur, gratissimus: tum multo iucundius, te esse in me tali uoluntate, ut plus prosis amicis meis, quàm ego præsens fortasse prodessem: credo, quòd magis ego dubitarem, quid illorum causa facerem, quàm tu, quid mea. sed hoc, non dubito, quin existimes mihi esse gratum. illud te rogo, ut illos quoque gratos homines esse putes. quod ita esse tibi promitto, atque confirmo. quare uelim, quidquid habent negotij, des operam, quod commodo tuo fiat, ut te obtinente Achaiam conficiant. Ego cum tuo Seruio iucundissime, coniunctissimeq; uiuo; magnamq; cum ex ingenio eius, singulariq; studio, tum ex uirtute, & probitate uoluptatem capio. Vale.

M. CICERO SER. SVLPICIO S.P.D.

ET si libenter petere à te soleo, si quid opus est meorum cuipiam: tamen multo libentius gratias tibi ago, cum feceris aliquid commendatione mea: quod semper facis: incredibile est enim, quas mihi gratias omnes agant, etiam mediocriter à me tibi commendati. quæ mihi omnia grata, sed de L. Mescinio gratissimum: sic enim est mecum locutus, te, ut meas literas legeris, statim procuratoribus suis pollicitum esse omnia, multo uero plura, & maiora fecisse.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

id igitur (puto enim etiam atque etiam mihi dicendum esse) uelim existimes, mihi te feciſſe gratiſſimum. quod quidem hoc uehementius lætor, quòd ex ipſo Meſcinio te uideo magnam capturum uoluptatem: eſt enim in eo cum uirtus, & probitas, et ſummum officium, ſummaq; obſeruantia; tum ſtudia illa noſtra, quibus antea delectabamur, nunc etiam uiuimus. quod reliquũ eſt, uelim, augeas tua in eum beneficia omnibus rebus, quæ te erunt dignæ: ſed duo, quæ te nominatim rogo: primum, ut, ſi quid ſatisdandum erit, amplius eo nomine non peti, cures, ut ſatisdetur fide mea: deinde, cum fere conſiſtat hæreditas in ijs rebus, quas auertit Oppia, quæ uxor Mindij fuit; adiuues, ineasq; rationem, quemadmodum ea mulier Romam perducatur. quod ſi putarit illa fore; ut opinio noſtra eſt, negotium conficiemus. hoc ut aſſequamur, te uehementer etiam atque etiam rogo. illud, quod ſupra ſcripſi, id tibi confirmo, in meq; recipio; te ea, quæ feciſti Meſcinij cauſa, quæq; feceris, ita bene collocaturum, ut ipſe iudices homini te gratiſſimo, iucundiſſimo benigne feciſſe: uolo enim ad id, quod mea cauſa feciſti, hoc etiam accedere. Nec Lacedæmonios dubitare arbitror, quin ipſi ſua, maiorumq; ſuorum auctoritate ſatis commendati ſint fidei, et iuſtitiæ tuæ: et ego, qui te optime nouiſſem, non dubitaui, quin tibi notiſſima et iura, et merita populorum eſſent. itaque cum à me peteret Philippus Lacedæmonius, ut tibi ciuitatem commendarem: etſi meminera m, me ei ciuitati omnia debere, tamen reſpondi, commendatione Lacedæmonios apud te non egere. itaque ſic uelim existimes, me omnes Achaiæ ciuitates arbitrari

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

pro horum temporum perturbatione felices, quòd tu ijs præsis: eundemq; me ita iudicare, te, quòd unus optime nosses non nostra solum, sed etiam Græciæ monimenta omnia, tua sponte amicum Lacedæmonijs & esse, et fore. quare tantum à te peto, ut, cum ea facies Lacedæmoniorum causa, quæ tua fides, amplitudo, iustitia postulat; his, si tibi uidebitur, significes, te non moleste ferre, quòd intelligas, ea, quæ facias, mihi quoque grata esse. pertinet enim ad officium meum, eos existimare, curæ mihi suas res esse. hoc te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. CICERO L. PLANCO S. P. D.

NOn dubito, quin scias, in ijs necessarijs, qui tibi à patre relicti sunt, me tibi esse uel coniunctissimum, non ijs modo causis, quæ speciem habent magnæ coniunctionis; sed ijs etiam, quæ familiaritate, & consuetudine tenentur; quam scis mihi iucundissimam cum patre tuo, & summam fuisse. ab his initijs noster in te amor profectus, auxit paternam necessitudinem, & eo magis, quòd intellexi, ut primum per ætatem iudicium facere potueris, quanti quisque tibi faciendus esset, me à te in primis cœptum esse obseruari, coli, diligi. accedebat non mediocre uinculum cum studiorum, quod ipsum est per se graue; tum eorum studiorum, earumq; artium, quæ per se ipsæ eos, qui uoluntate eadem sunt, etiam familiaritate deuinciunt. Expectare te arbitror, hæc tam longe repetita principia quò spectent. id primum ergo habeto, non sine magna, iustaq; causa hanc à me cõmemorationem esse factam.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

C. Atteio Capitone utor familiarissime. notæ tibi sunt varietates meorum temporum. in omni genere & honorum, et laborum meorum et animus, et opera, et auctoritas, et gratia, etiam res familiaris C. Capitonis præsto fuit, et paruit & temporibus, & fortunæ meæ. huius propinquus fuit T. Antistius. qui cum sorte quæstor Macedoniam obtineret; neque ei successum esset: Pompeius in eam prouinciam cum exercitu uenit. facere Antistius nihil potuit: nam si potuisset; nihil ei fuisset antiquius, quàm ad Capitonem, quem ut parentem diligebat, reuerti; præsertim cum sciret, quanti is Cæsarem faceret, semperq; fecisset: sed oppressus, tantum attigit negotij, quantum recusare non potuit. cum signaretur argentum Apolloniæ, non possum dicere eum præfuisse, neque possum negare eũ affuisse, sed non plus duobus, aut tribus mensibus. deinde abfuit à castris: fugit omne negotiũ. hoc mihi, ut testi, uelim, credas: meam enim ille mœstitiam in illo bello uidebat: mecum omnia communicabat. itaque abdidit se in intimam Macedoniam, quò potuit longissime à castris; non modo ut non præesset ulli negotio; sed etiam ut ne interesset quidem. is post prælium se ad hominem necessarium A. Plancium in Bithyniam contulit. ibi eum Cæsar cum uidisset; nihil aspere, nihil acerbe dixit; Romam iussit uenire. ille in morbũ continuo incidit: ex quo non conualuit. æger Corcyrã uenit: ibi est mortuus. testamento, quod Romæ, Paulo, & Marcello consulibus, fecerat, hæres ex parte dimidia, et tertia est Capito. in sextante sunt ij, quorum pars sine ulla cuiusquam querela publica potest esse. ea est ad HS XXX. sed de hoc Cæsar uiderit. Te mi Plance

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

pro paterna necessitudine, pro nostro amore, pro studijs, et omni cursu nostro totius uitæ simillimo rogo, & à te ita peto, ut maiore cura, maiore studio non possim; ut hanc rem suscipias, meam putes; enitare, contendas, efficias, ut mea commendatione, tuo studio, Cæsaris beneficio hæreditatem propinqui sui C. Capito obtineat. omnia, quæ potui in hac summa gratia tua, ac potentia à te impetrare, si petiuissem, ultro te ad me detulisse putabo, si hanc rem impetrauero. illud fore tibi adiumento spero; cuius ipse Cæsar esse optimus iudex potest: semper Cæsarem Capito & dilexit, & coluit. sed ipse huius rei testis est: noui hominis memoriam. itaque te nihil doceo: tantum tibi sumito pro Capitone apud Cæsarem, quantum ipsum meminisse senties. ego, quod in me ipso experiri potui, ad te deferam: in eo quantum sit ponderis, tu uidebis. quam partem in rep. causamq; defenderim; per quos homines, ordinesq; steterim; quibusq; munitus fuerim; non ignoras. hoc mihi uelim credas: si quid fecerim hoc ipso in bello minus ex Cæsaris uoluntate; quod intellexerim, scire ipsum Cæsarem me inuitissimum feciſſe; id feci aliorum consilio, hortatu, auctoritate: quòd fuerim moderatior, temperatiorq;, quàm in ea parte quisquam; id me feciſſe maxime auctoritate Capitonis. cuius similes si reliquos necessarios habuissem: reip. fortasse non nihil, mihi certe plurimum profuissem. hanc rem mi Plance si effeceris; meam de tua erga me beneuolentia spem confirmaueris; ipsumq; Capitonem, gratissimum, officiosissimum, optimum uirum, ad tuam necessitudinem tuo summo beneficio adiunxeris. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

CICERO ACILIO PRO CONS. S.

L. Manlius est Sosis. is fuit Catinensis: sed est una cũ reliquis Neapolitanis ciuis Romanus factus, decurioq; Neapoli: erat enim adscriptus in id municipium ante ciuitatem socijs, & Latinis datam. eius frater Catinæ nuper mortuus est. nullam omnino arbitramur de ea hæreditate cõtrouersiam eum habiturum: & est hodie in bonis: sed quando habet præterea negotia uetera in Sicilia sua; et hanc hæreditatem fraternam, & omnia eius tibi commendo, in primisq; ipsum, uirum optimum, mihiq; familiarissimũ, ijs studijs literarum, doctrinæq; præditum, quibus ego maxime delector. peto igitur abs te, ut eũ, siue aderit, siue non uenerit in Siciliam, in meis intimis, maximeq; necessarijs scias esse; itaq; tractes, ut intelligat, meam commendationem sibi magno adiumento fuisse. Vale.

CICERO ACILIO PRO CONS. S.

C. Flauio, honesto, & ornato equite Romano, utor ualde familiariter: fuit enim generi mei C. Pisonis perneccessarius; meq; diligentissime obseruat & ipse, et L. Flauius frater eius. quapropter uelim honoris mei causa, quibus rebus honeste, & pro tua dignitate poteris, quamhonorificentissime, & quamliberalissime C. Flauium tractes. id mihi sic erit gratum, ut gratius esse nihil possit. sed præterea tibi affirmo, neque id ambitione adductus facio, sed tum familiaritate, & necessitudine, tum etiam ueritate;

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

te ex C. Flauij officio, & obseruantia, & præterea splendore, atque inter suos gratia magnam uoluptatem esse capturum. Vale.

CICERO ACILIO PRO CONS. S.

I N Alesina ciuitate tam lauta, quàm nobili coniunctissimos habeo & hospitio, & familiaritate M. & C. Clodios, Archagatum, et Philonem. sed uereor, ne, quia complures tibi præcipue commendo, exæquare uidear ambitione quadam commendationes meas. quanquam à te quidem cumulate satisfit & mihi, & meis omnibus. sed uelim, sic existimes, hanc familiam, & hos mihi maxime esse cõiunctos uetustate, officijs, beneuolentia. quamobrem peto à te maiorem in modum, ut his, omnibus in rebus, quantum tua dignitas, fidesq; patietur, commodes. id si feceris, erit mihi uehementissime gratum. Vale.

CICERO ACILIO PRO CONS. S.

C. Otacilio Nasone utor familiarissime, ita prorsus, ut illius ordinis nullo familiarius: nam & humanitate eius, & probitate in consuetudine quotidiana magnopere delector. nihil iam opus est expectare te, quibus eum uerbis tibi commendem, quo sic utar, ut scripsi. habet is in prouincia tua negotia: quæ procurant liberti Hilarius, Antigonus, Demostratus: quos tibi, negotiaq; omnia Nasonis non secus commendo, ac si mea essent. gratissimum mihi feceris, si intellexero, hanc commendationem magnum apud te pondus habuisse. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

CICERO ACILIO PRO CONS. S.

A Vitum mihi hospitium est cum Lysone Lysonis filio Lilybætano; ualdeq; ab eo obseruor; cognouiq; dignum & patre, et auo: est enim nobilissima familia. quapropter commendo tibi maiorem in modum rem, domumq; eius; magnoq; opere abs te peto, cures, ut is intelligat, meam commendationem maximo sibi apud te & adiumento, & ornamento fuisse. Vale.

CICERO ACILIO PRO CONS. S.

C. Auianus Philoxenus antiquus est hospes meus, & , præter hospitium, ualde etiam familiaris: quem Cæsar meo beneficio in Nouocomenses retulit. nomen autem Auiani consecutus est, quòd homine nullo plus est usus, quàm Flacco Auiano, meo, quemadmodum te scire arbitror, familiarissimo. quæ ego omnia collegi, ut intelligeres, non uulgarem esse commendationem hanc meam. peto igitur abs te, ut omnibus rebus, quod sine molestia tua facere possis, ei commodes; habeasq; in numero tuorum; perficiasq;, ut intelligat, has literas meas magno sibi usui fuisse. erit id mihi maiorem in modum gratum. Vale.

CICERO ACILIO PRO CONS. S.

C Vm Demetrio Mega mihi uetustũ hospitium est, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. ei Dolabella rogatu meo ciuitatem à Cæsare impetrauit. qua in re ego interfui. itaque

nunc P. Cornelius uocatur. cumq; propter quosdam sordidos homines, qui Cæsaris beneficia uendebant, tabulam, in qua nomina ciuitate donatorum incisa essent, reuelli iussisset; eidem Dolabellæ, me audiente, Cæsar dixit, nihil esse, quod de Mega uereretur; beneficium suum in eo manere. hoc te scire uolui, ut eum in ciuium Romanorum numero haberes. cæterisq; in rebus tibi eum ita commendo, ut maiore studio neminẽ commendarim. gratissimum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat, meam commendationem magno sibi ornamento fuisse. Vale.

CICERO ACILIO PRO CONS. S.

H Ippiam, Philoxeni filium, Calatinum, hospitem, & necessarium meum, tibi commendo maiorem in modum. eius bona, quemadmodum ad me delata res est, publice possidentur alieno nomine contra leges Calatinorum. id si ita est, etiam sine mea commendatione ab æquitate tua res ipsa impetrare debet, ut ei subuenias. quoquo modo autem se res habet; peto à te, ut honoris mei causa eum expedias; tantumq; ei commodes, & in hac re, & in cæteris: quantum tua fides, dignitasq; patietur. id mihi uehementer gratum erit. Vale.

CICERO ACILIO PRO CONS. S.

L. Bruttius, eques Romanus, adolescens omnibus rebus ornatus, in meis familiarissimis est, meq; obseruat diligentissime. cuius cum patre magna mihi fuit amicitia iam inde à quæstura mea

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Sicilienſi. omnino nunc ipſe Bruttius Romæ mecum eſt: ſed tamen domum eius, & rem familiarem, & procuratores tibi ſic commendo, ut maiore ſtudio commendare non poſſim. gratiſſimum mihi feceris, ſi curaris, ut intelligat Bruttius, id quod ei recepi, hanc meam commendationem ſibi magno adiumento fuiſſe. Vale.

CICERO ACILIO PRO CONS. S.

C Vm familia Titurnia neceſſitudo mihi intercedit uetus: ex qua reliquus eſt M. Titurnius Rufus; qui mihi omni diligentia, atque officio eſt tuendus. eſt igitur in tua poteſtate, ut ille in me ſatis ſibi præſidij putet eſſe. quapropter eum tibi cõmendo maiorem in modum: & abs te peto, efficias, ut is commendationem hanc intelligat ſibi magno adiumento fuiſſe. erit id mihi uehementer gratum. Vale.

M. CICERO Q. ANCHARIO Q. F. PRO CONS. S. D.

L. Et C. Aurelios L. F. quibus & ipſis, et patre eorum uiro optimo familiariſſime utor, commendo tibi maiorem in modum, adoleſcentes omnibus optimis artibus ornatos, meos perneceſſarios, tua amicitia digniſſimos. ſi ulla mea apud te commendatio ualuit, quod ſcio multas plurimum ualuiſſe; hæc ut ualeat, rogo. quòd ſi eos honorifice, liberaliterq; tractaris; et tibi gratiſſimos, optimosq; adoleſcentes adiunxeris, & mihi gratiſſimum feceris. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CICERO L. CVLLEOLO S. D.

Q. Væ feciſti L. Lucceij cauſa, ſcire te plane uolo, te homini gratiſſimo cõmodaſſe. & cum ipſi, quæ feciſti, pergrata ſunt: tum Pompeius, quotieſcunque me uidet, uidet autem ſæpiſſime, gratias tibi agit ſingulares. addo etiam illud, quod tibi iucundiſſimum eſſe certo ſcio, me ipſum ex tua erga Lucceium benignitate, maxima uoluptate affici. quod ſupereſt, quanquam mihi non eſt dubium, quin cum antea noſtra cauſa, nunc iam etiã tuæ conſtantiæ gratia manſurus ſis in eadem iſta liberalitate: tamen abs te uehementer etiam atque etiam peto, ut ea, quæ initio oſtendiſti, deinceps feciſti, etiam ad exitum augeri, et cumulari per te uelis. id et Lucceio, & Põpeio ualde gratum fore, teq; apud eos præclare poſiturum, confirmo, & ſpondeo. De rep. deq; his negotijs, cogitationibusq; noſtris perſcripſeram ad te diligẽter paucis ante diebus; easq; literas dederam pueris tuis. Vale.

M. CICE. L. CVLLEOLO PROCONS. S.

L. Lucceius, meus familiariſſimus, homo omnium gratiſſimus, mirificas tibi apud me gratias egit, cum diceret, omnia te cumulatiſſime, & liberaliſſime procuratoribus ſuis pollicitum eſſe. cum oratio tua tam ei grata fuerit; quàm gratam rem ipſam exiſtimas fore, cum, ut ſpero, quæ pollicitus es, feceris? omnino oſtenderunt Bylliones, ſeſe Lucceio Pompeij arbitratu ſatisfacturos: ſed uehementer opus eſt nobis, & uoluntatem, et auctoritatem, & imperium

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

tuum accedere. quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. illudq; mihi gratissimum est, quod ita sciunt Lucceij procuratores, & ita Lucceius ipse ex literis tuis, quas ad eum misisti, intellexit; hominis nullius apud te auctoritatem, aut gratiam ualere plus, quàm meam. id ut re experiatur, iterum, & sæpius te rogo. Vale.

M. CICERO Q. GALLIO S. D.

Etsi plurimis rebus spero fore, ut perspiciam, quod tamen iampridem perspicio, me à te amari: tamen nunc ea causa tibi datur, in qua facile declarare possis tuam erga me beneuolentiá. L. Oppius M. F. Philomeli negotiatur, homo mihi familiaris. eum tibi unice commendo, eoq; magis, quòd cum ipsum diligo, tum quòd negotia procurat L. Egnatij Rufi: quo ego uno equite Romano familiarissime utor, & qui cum consuetudine quotidiana, tum officijs plurimis, maximisq; mihi coniunctus est. Oppium igitur præsentem ut diligas; Egnatij absentis rem ut tueare; æque à te peto, ac si mea negotia essent. uelim memoriæ tuæ causa des literarum aliquid, quæ tibi in prouincia reddantur; sed ita conscribas, ut tũ, cum eas leges, facile recordari possis huius meæ cõmendationis diligentiam. hoc te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. CICERO Q. GALLIO S. D.

Etsi ex tuis, & L. Oppij, familiarissimi mei, literis cognoui, te memorem commendationis meæ fuisse; idq; pro tua summa erga me beneuolentia, proq; nostra necessitudine minime

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ſum admiratus: tamen etiam atque etiam tibi L. Oppium præſentem, et L. Egnatij, mei familiariſſimi, abſentis negotia commendo. tanta mihi cum eo neceſſitudo eſt, familiaritasq; ; ut, ſi mea res eſſet, non magis laborarem. quapropter mihi gratiſſimum feceris, ſi curaris, ut is intelligat, me à te tantum amari, quantum ipſe exiſtimo. hoc mihi gratius facere nihil potes. idq; ut facias, uehementer te rogo. Vale.

M. CICERO APPVLEIO PRO QVAES. S. P. D.

L. Egnatio uno equite Romano uel familiariſſime utor. eius Anchialum ſeruũ, negotiaq;, quæ habet in Aſia, tibi commendo non minore ſtudio, quàm ſi rem meam commendarem: ſic enim exiſtimes uelim, mihi cum eo non modo quotidianam conſuetudinem ſummam intercedere, ſed etiam officia magna, & mutua noſtra inter nos eſſe. quamobrem etiam atque etiam à te peto, ut cures, ut is intelligat, me ad te ſatis diligenter ſcripſiſſe: nam de tua erga me uoluntate non dubitabat. id ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

M. CICERO APPVLEIO PRO QVAES. S. P. D.

L. Noſtius Zoilus eſt cohæres meus, hæres autẽ patroni ſui. ea re utrunque ſcripſi, ut & mihi cum illo cauſam amicitiæ ſcires eſſe; & hominem probum exiſtimares, qui patroni iudicio ornatus

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

natus esset. eum tibi igitur sic commendo, ut unum ex nostra domo. ualde mihi gratum erit, si curaris, ut intelligat, hanc commendationem sibi apud te magno adiumento fuisse. Vale.

M. CICERO SILIO S. D. P.

QVid ego tibi commendem eum, quem tu ipse diligis? sed tamen, ut scires, eum non à me diligi solum, uerum etiam amari, ob eam rem tibi hæc scribo. omnium tuorum officiorum, quæ & multa, & magna sunt, mihi gratissimum fuerit, si ita tractaris Egnatium, ut sentiat & se à me, & me à te amari. hoc te uehementer etiam atque etiam rogo. Illa nostra scilicet ceciderunt. utamur igitur uulgari consolatione. quid, si hoc melius? sed hæc coram. Tu fac, quod facis, ut me ames, teq; amari à me scias. Vale.

M. CICERO C. SEXTILIO RVFO QVAES. S. D.

OMnes tibi commendo Cyprios, sed magis Paphios: quibus tu quæcunque commodaris, erunt mihi gratissima. eoq; facio libentius, ut eos tibi commendem, quòd & tuæ laudi, cuius ego fautor sum, conducere arbitror, cum primus in eam insulam quæstor ueneris, ea te instituere, quæ sequãtur alij. quæ, ut spero, facilius consequere, si et P. Lentuli, necessarij tui legem, et ea, quæ à me constituta sunt, sequi uolueris. quam rẽ tibi confido magnæ laudi fore. Vale.

CICERO CVRIO PRO CONS. S. D.

Q. Pompeius, Sex. F. multis, & ueteribus cauſis neceſſitudinis mihi coniunctus eſt. is cum antea meis commendationibus & rem, & gratiam, & auctoritatem ſuam tueri conſueuerit, nunc profecto te prouinciam obtinente meis literis aſſequi debet, ut nemini ſe intelligat commendatiorem unquam fuiſſe. quamobrem à te maiorem in modum peto, ut, cum omnes meos æque ac tuos obſeruare pro noſtra neceſſitudine debeas, hunc in primis ita in tuam fidem recipias, ut ipſe intelligat, nullam rem ſibi maiori uſui, aut ornamento, quàm meam commendationem, eſſe potuiſſe. Vale.

M. CICERO ARISTO PRO CONS. S.D.

S. Vmpſi hoc mihi pro tua in me obſeruantia, quam penitus perſpexi, quandiu Brundusij fuimus, ut ad te familiariter, & quaſi pro meo iure ſcriberem, ſi qua res eſſet, de qua ualde laborarem. M. Curius, qui Patris negotiatur, ita mihi familiaris eſt, ut nihil poſſit eſſe coniunctius. multa illius in me officia, multa in illum mea; quodq; maximum eſt, ſummus inter nos amor, & mutuus. quæ cum ita ſint: ſi ullam in amicitia mea ſpem habes; ſi ea, quæ in me officia, et ſtudia Brundusij contuliſti, uis mihi etiá gratiora efficere, quanquam ſunt gratiſſima; ſi me à tuis omnibus amari uides, hoc mihi da, atque largire, ut M. Curium ſartum et tectum, ut aiunt, ab omniq; incommodo, detrimento, moleſtia ſincerum, integrumq; conſet

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ues. et ipſe ſpondeo, & omnes hoc tibi tui pro me recipient, ex mea amicitia, et ex tuo in me officio maximũ te fructum, ſummamq; uoluptatem eſſe capturũ. Vale.

M. CICERO P. CAESIO S. D.

P. *Meſſienum, equitem Romanum omnibus rebus ornatum, meumq; perfamiliarẽ, tibi commendo ea commendatione, quæ poteſt eſſe diligentiſſima. peto à te & pro noſtra, et pro paterna amicitia, ut eum in tuam fidem recipias, eiusq; rem, famamq; tueare. uirum bonum, tuaq; amicitia dignum tibi adiunxeris, mihiq; gratiſſimum feceris. Vale.*

CICERO REGI S.

A. *Licinius Ariſtoteles Melitenſis, antiquiſſimus eſt hoſpes meus, & præterea coniunctus magno uſu familiaritatis. hæc cum ita ſint, non dubito, quin tibi ſatis commendatus ſit: etenim ex multis cognoſco, meam commendationem plurimum apud te ualere. hunc ego à Cæſare liberaui: frequens enim fuerat nobiſcum: atque etiam diutius in cauſa eſt, quàm nos, commoratus. quo melius te de eo exiſtimaturum arbitror. fac igitur mi Rex, ut intelligat, has ſibi literas plurimum profuiſſe. Vale.*

M. CIC. Q. THERMO PRO PRAET. S.

L. *Genucilio Curuo iampridem familiariſſime utor, optimo uiro, et homine gratiſſimo. eum tibi penitus commendo, atque trado: primum ut omnibus in rebus ei te commodes, quoad fides*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

tua, dignitasq; patietur: patietur autem in omnibus: nihil enim abs te unquam, quod sit alienum tuis, aut etiam suis, moribus postulabit. præcipue autem tibi commendo negotia eius, quæ sunt in Hellesponto: primum, ut obtineat id iuris in agris, quod ei Pariana ciuitas decreuit, & dedit, & quod semper obtinuit sine ulla controuersia; deinde, si quid habebit cum aliquo Hellespontio controuersiæ, ut in illam διοίκησιν reijcias. sed non mihi uideor, cum tibi totum hominem diligentissime commendarim, singulas ad te eius causas perscribere debere. summa illa sit. quidquid officij, beneficij, honoris in Genucilium contuleris, id te existimabo in me ipsum, atque in rem meam contulisse. Vale.

CICERO THERMO PRO PRAET. S.

CVm mihi multa grata sunt, quæ tu, adductus mea commendatione, feciſti; tum in primis, quòd M. Marcilium, amici, atque interpretis mei filium, liberalissime tractauisti: uenit enim Laodiceam, & tibi apud me, mihiq; propter te gratias maximas egit. quare, quod reliquum est, à te peto, quando apud gratos homines beneficium ponis, ut eo libentius his commodes; operamq; des, quoad fides tua patietur, ut socrus adolescentis rea ne fiat. ego cum antea studiose commendabam Marcilium, tum multo nunc studiosius, quòd in longa apparitione singularem, & prope incredibilem patris Marcilij fidem, abstinentiam, modestiamq; cognoui. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

CICERO THERMO PROPRAET. S.

E Tsi mihi uideor intellexisse, cum tecum Ephesi de re M. Anneij, legati mei, locutus sum, te ipsius causa uehementer omnia uelle: tamen & M. Anneium tanti facio, ut mihi nihil putem praetermittendum, quod illius interest: & me à te tanti fieri puto, ut non dubitem, quin ad tuam uoluntatem magnus cumulus accedat commendationis meæ. nam cum iandiu diligerem M. Anneium, déq; eo sic existimarem, ut res declarat, quòd ultro ei detulerim legationem, cum multis petentibus denegassem: tum uero, posteaquam mecum in bello, atque in re militari fuit, tantam in eo uirtutem, prudentiam, fidem, tantamq; erga me beneuolentiam cognoui, ut hominem neminem pluris faciam. eum cum Sardianis habere controuersiam, scis: causam tibi exposuimus Ephesi: quam tu tamen coram facilius, meliusq; cognosces. de reliquo mihi mehercule diu dubium fuit, quid ad te potissimum scriberem. ius enim quemadmodum dicas, clarum, et magna cum tua laude notum est: nobis autem in hac causa nihil aliud opus est, nisi te ius instituto tuo dicere. sed tamen cum me non fugiat, quanta sit in prætore auctoritas, præsertim ista integritate, grauitate, clementia, qua te esse inter omnes constat: peto abs te pro nostra coniunctissima necessitudine, plurimisq; officijs paribus, ac mutuis, ut uoluntate, auctoritate, studio tuo perficias, ut M. Anneius intelligat, te & sibi amicum esse, quod non dubitat; sæpe enim mecum locutus est; et multo amiciorem his meis literis esse factum. in tuo

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

toto imperio, atque prouincia nihil est, quod mihi gratius facere possis. iam, apud ipsum, gratissimum hominem, atque optimum uirum, quàm bene positurus sis studium tuum, atque officium, dubitare te non existimo. Vale.

CICERO THERMO PROPRAET. S.

C Luuius Puteolanus ualde me obseruat, ualdeq; est mihi familiaris. is ita sibi persuadet, quod in tua prouincia negotij habet, nisi te prouinciam obtinente meis commendationibus confecerti, id se in perditis, & desperatis habiturum. nunc quando mihi ab amico officiosissimo tantum oneris imponitur, ego quoque tibi imponam pro tuis in me summis officijs, ita tamen, ut tibi nolim molestus esse. Mylasii, & Alabandenses pecuniam Cluuio debent. dixerat mihi Euthydemus, cum Epheſi essem, se curaturum, ut ecdici Mylasii Romam mitterentur. id factum non est. legatos audio missos esse: sed malo ecdicos, ut aliquid confici possit. quare peto à te, ut eos, & Alabandenses iubeas ecdicos Romam mittere. præterea Philotes Alabandensis [illegible] Cluuio dedit: hæ commissæ sunt. uelim, cures, ut aut de hypothecis decedat, easq; procuratoribus Cluuij tradat: aut pecuniam soluat. præterea Heracleotæ, & Bargyletæ, qui item debent, aut pecuniam soluant, aut fructibus suis satisfaciant. Caunij præterea debent: sed aiunt, se depositam pecuniam habuisse. id uelim cognoscas: &, si intellexeris eos neque ex edicto, neque ex decreto depositam

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

habuisse, des operam, ut usuræ Cluuio instituto tuo conseruentur. his de rebus eo magis laboro, quòd agitur res Cn. Pompeij, etiam nostri necessarij, & quòd is magis etiam mihi laborare uidetur, quàm ipse Cluuius: cui satisfactum esse à nobis ualde uolo. his de rebus te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

CICERO THERMO PRO PRAET. S.

QVo magis quotidie ex literis, nunciisq; bellum magnum esse in Syria cognosco, eo uehementius à te pro nostra necessitudine contendo, ut mihi M. Anneium legatum primo quoque tempore remittas: nam eius opera, consilio, scientia rei militaris uel maxime intelligo me, & remp. adiuuari posse. quòd nisi tanta res eius ageretur: nec ipse adduci potuisset, ut à me discederet; neque ego, ut eum à me dimittere. ego in Ciliciam proficisci cogito circiter cal. Maias. ante eam diem Anneius ad me redeat, oportet. illud, quod tecum & coram, & per literas diligentissime egi, id & nunc etiam atque etiam rogo, curæ tibi sit, ut suum negotium, quod habet cum populo Sardiano, pro causæ ueritate, & pro sua dignitate conficiat. intellexi ex tua oratione, cum tecum Ephesi locutus sum, te ipsius Anneij causa omnia uelle: sed tamen sic, uelim, existimes, te mihi nihil gratius facere posse, quàm si intellexero, per te illum ipsum negotium ex sententia confecisse. idq; quamprimum ut efficias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CICERO C. TITIO L.F. RVFO PRAET. VRB. S.

L. Cuſtidius eſt tribulis, & municeps, & familiaris meus. is cauſam habet, quam cauſam ad te deferet. commendo tibi hominem, ſicuti tua fides, et meus pudor poſtulat; tantum, ut faciles ad te aditus habeat; quæ æqua poſtulabit, ut lubente te impetret, ſentiatq; meam ſibi amicitiam, etiam cum longiſſime abſim, prodeſſe in primis apud te. Vale.

M. CICERO C. CVRTIO PEDVCEANO PRAET. S. D.

M. Fabium unice diligo: ſummaq; mihi cum eo conſuetudo, & familiarilas eſt peruetus. in eius controuerſiis quid decernas, à te non peto, (ſeruabis, ut tua fides, & dignitas poſtulat, edictum, & inſtitutum tuum) ſed ut quamfacillimos ad te aditus habeat; quæ erunt æqua, lubente te impetret: ut meam amicitiam ſibi, etiam cum procul abſim, prodeſſe ſentiat, præſertim apud te. hoc uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. CICERO C. MVNATIO C.F. S.

L. Liuineius Trypho eſt omnino L. Reguli, familiariſſimi mei, libertus; cuius calamitas etiã officioſiorẽ me facit in illum; nam beneuolentior, quàm ſemper fui, eſſe non poſſum: ſed ego libertũ eius per ſe ipſum diligo, ſumma enim eius erga me officia extiterunt ijs noſtris temporibus, quibus facillime

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

bonam beneuolentiam hominum, & fidem perſpicere potui. eum tibi ita commendo, ut homines grati, & memores bene meritos de ſe commendare debent. pergratum mihi feceris, ſi ille intellexerit, ſe, quòd pro ſalute mea multa pericula adierit, ſæpe hieme ſumma nauigarit, pro tua erga me beneuolentia gratum etiam tibi feciſſe. Vale.

M. CICERO P. SILIO PRO PRAET. S. D.

T. Pinnio famliariſſime me uſum eſſe, ſcire te arbitror. quod quidē ille teſtamento declarauit, qui me tum tutorē, tum etiam ſecundum hæredem inſtituerit. eius filio mire ſtudioſo, et erudito, et modeſto pecuniam Nicæenſes grandem debent, ad HS octogies: et, ut audio, in primis uolunt ei ſoluere. pergratum igitur mihi feceris, quando non modo reliqui tutores, qui ſciunt, quanti me facias, ſed etiam puer ipſe ſibi perſuaſit, te omnia mea cauſa facturum eſſe; ſi dederis operam, quoad tua fides, dignitasq; patietur, ut quamprimum pecunia Pinnio ſoluatur Nicæenſium nomine. Vale.

M. CICERO P. SILIO PRO PRAET. S. D.

E T in Attilij negotio te amaui: cum enim ſero ueniſſem, tamen honeſtum equitem Romanum beneficio tuo conſeruaui: & mehercule ſemper ſic in animo habui, te in meo ære eſſe propter

Lamiæ noſtri coniunctionem, & ſingularem neceſſitudinem. itaque primum tibi ago gratias, quòd me omni moleſtia liberas. deinde impudentia proſequor: ſed idē ſarciam: te enim ſemper ſic colam, & tuebor, ut quē diligentiſſime. Quintum fratrem meum, ſi me diligis, eo numero cura ut habeas, quo me. ita magnum beneficium tuum magno cumulo auxeris. Vale.

M. CICERO P. SILIO PRO PRAET. S. D.

NOn putaui fieri poſſe, ut mihi uerba deeſſent: ſed tamen in C. Lenio cōmendando deſſunt. itaque rem tibi exponam paucis uerbis, ſed tamen ut plane perſpicere poſſis uoluntatem meam. incredibile eſt, quanti faciamus et ego, et frater meus, qui mihi cariſſimus eſt, C. Lenium. id fit cum plurimis eius officijs, tum ſumma probitate, & ſingulari modeſtia. eum ego à me inuitiſſimus dimiſi, tum propter familiaritatem, & conſuetudinis ſuauitatē; tum quòd conſilio eius fideli, ac bono libenter utebar. ſed uereor, ne iam mihi ſupereſſe uerba putes, quæ dixeram defutura. commendo tibi hominem, ſicut intelligis me, de quo ea ſupra ſcripſerim, debere commendare: à teq; uehementer etiam atque etiam peto, ut, quod habet in tua prouincia negotij, expedias; quod tibi uidebitur rectum eſſe, ipſi dicas: hominem facillimum, liberaliſſimumq; cognoſces. itaque te rogo, ut eum ſolutum, liberum cōfectis eius negotijs per te quamprimum ad me remittas. id mihi, fratriq; meo gratiſſimū feceris. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CICERO P. SILIO PRO PRAET. S. D.

NEro meus mirificas apud me tibi gratias egit, prorsus incredibiles, ut nullum honorem sibi haberi potuisse diceret, qui à te prætermissus esset. magnum fructum ex ipso capies: nihil est enim illo adolescente gratius. sed mehercule mihi quoque gratissimum feciſti: pluris enim ex omni nobilitate neminẽ facio. itaque si ea feceris, quæ ille per me tecum agi uoluit, gratissimum mihi feceris. primum de Pausania Alabandensi, sustentes rem, dum Nero ueniat: uehementer enim eius causa cupere eum intellexi: itaque hoc ualde te rogo. deinde Nisæos, quos Nero in primis habet necessarios, diligentissimeq; tuetur, ac defendit, habeas tibi commendatissimos: ut intelligat illa ciuitas, sibi in Neronis patrocinio summum esse præsidiũ. Strabonem Seruilium tibi sæpe commendaui: nunc eo facio id impensius, quòd eius causam Nero suscepit. tantum à te petimus, ut agas eam rem, nec relinquas hominẽ innocentem ad alicuius tui dissimilis quæstum. id tum gratum mihi erit: tum etiam existimabo te humanitate tua esse usum. summa huius epistolæ hæc est, ut ornes omnibus rebus Neronem, sicut instituisti, atque feciſti. magnum theatrum habet ista prouincia, non ut hæc nostra, adolescentis nobilis, ingenioſi, abstinentis cõmendationem, atque gloriã. quare si te fautore usus erit, sicut et utetur profecto, et usus est; amplissimas clientelas acceptas à maioribus cõfirmare poterit, & beneficijs suis obligare. hoc in genere si eum adiueueris,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

eo ſtudio, quo oſtendiſti; apud ipſum præclariſſime poſueris, ſed mihi etiam gratiſſimum feceris. Vale.

M. CICERO P. SILIO PRO PRAET. S. D.

CVm P. Terentio Hiſpone, qui operas in ſcriptura pro magiſtro dat, mihi ſumma familiaritas, conſuetudoq; eſt: multaq;, & magna inter nos officia paria, et mutua intercedunt. eius ſumma æſtimatio agitur in eo, ut pactiones cum ciuitatibus reliquis conficiat. non me præterit, nos eam rem Epheſi expertos eſſe, neque ab Ephesijs ullo modo impetrare potuiſſe. ſed quando, quemadmodum omnes exiſtimant, & ego intelligo, tua cum ſumma integritate, tum ſingulari humanitate, & manſuetudine conſecutus es, ut libentiſſimis Græcis nutu, quod uelis, conſequare: peto à te maiorem in modum, ut honoris mei cauſa hac laude Hiſponem affici uelis. præterea cum ſocijs ſcripturæ mihi ſumma neceſſitudo eſt, non ſolum ob eam cauſam, quòd ea ſocietas uniuerſa in mea fide eſt, ſed etiam quòd pleriſque ſocijs utor familiariſſime. ita & Hiſponem meum per me ornaris, & ſocietatem mihi coniunctiorem feceris: tuq; ipſe & ex eius obſeruantia, gratiſſimi hominis, et ex ſociorum gratia, hominum ampliſſimorum, maximum fructum capies, & me ſummo beneficio affeceris: ſic enim uelim exiſtimes, ex tota tua prouincia, omniq; iſto imperio nihil eſſe, quod mihi gratius facere poſſis. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CICERO P. SERVILIO S. D.

A. Cæcinam, maxime propriũ clientem familiæ uestræ non cõmendarem tibi, cum scirem qua fide in tuos, qua clementia in calamitosos soleres esse; nisi me & patris eius, quo sum familiarissime usus, memoria, et huius fortuna ita moueret, ut hominis omnibus mecũ studijs, officijsq; coniunctissimi mouere debet. à te hoc omni contentione peto sic, ut maiore cura, maiore animi labore petere non possim; ut ad ea, quæ tua spõte, sine cuiusquam cõmendatione, faceres in hominem tantum, et talem, calamitosum, aliquẽ afferant cumulũ meæ literæ, quo studiosius eũ, quibuscunque rebus possis, iuues. quòd si Romæ fuisses, etiã salutẽ A. Cæcinæ essemus, ut opinio mea fert, per te consecuti. de qua tamen magnã spem habemus, freti clemẽtia collegæ tui. nunc quando iustitiã tuam secutus, tutissimum sibi portũ prouinciam istam esse duxit: etiam atque etiã te rogo, atque oro, ut eum & in reliquijs ueteris negotiationis colligendis iuues, et cæteris rebus tegas atque tueare. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

M. CICERO P. SERVILIO. S. D.

E X prouincia mea Ciliciensi, cui scis τρεῖς διοικήσεις Asiaticas attributas fuisse, nullo sum familiarius usus, quàm Androne, Arthemonis filio, Laodicensi: eumq; habui in ea ciuitate tum hospitẽ, tum uehementer ad meæ uitæ rationem, & cõsuetudinem accõmodatum. quem quidem multo etiã pluris, posteaquam decessi, facere cœpi, quòd multis rebus

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

expertus ſum gratum hominem, meiq; memorem : itaque eum Romæ libentiſſime uidi : non te enim fugit, qui plurimis in iſta prouincia benigne feciſti, quàm multi grati reperiantur. hæc propterea ſcripſi, ut, me non ſine cauſa laborare, intelligeres & ut tu ipſe eum dignum hoſpitio tuo iudicares. feceris igitur mihi gratiſſimum, ſi ei declararis, quanti me facias, id eſt, ſi receperis eum in fidem tuam, &, quibuſcunque rebus honeſte, ac ſine moleſtia tua poteris, adiueueris. hoc mihi uehementer erit gratum. idq; ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

M. CICERO P. SERVILIO ISAVRICO PRO CONS. COLLEGAE S. D.

Ratæ mihi uehementer tuæ literæ fuerunt, G ex quibus cognoui curſus nauigationū tuarum: ſignificabas enim memoriam tuā noſtræ neceſſitudinis: qua mihi nihil poterat eſſe iucundius. quod reliquum eſt, multo etiam erit gratius, ſi ad me de rep. id eſt de ſtatu prouinciæ, de inſtitutis tuis familiariter ſcribes. quæ quanquā ex multis pro tua claritate audiam, tamen libentiſſime ex tuis literis cognoſcā. Ego ad te, de reip. ſumma quid ſentiam, non ſæpe ſcribam, propter periculum eiuſmodi literarum. quid agatur autem, ſcribam ſæpius. ſperare tamen uideor, Cæſari, collegæ noſtro, fore curæ, & eſſe, ut habeamus aliquam remp. cuius conſilijs magni referebat te intereſſe. ſed ſi tibi utilius eſt, id eſt glorioſius, Aſiæ præeſſe, & iſtam partem reip. male affectam tueri: mihi quoque idem, quod tibi, & laudi tuæ profuturū eſt, optatius

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

debet esse. ego, quæ ad tuam dignitatem pertinere arbitrabor, summo studio, diligentiaq; curabo: in primisq; tuebor omni obseruantia, clarissimum uirum, patrem tuum: quod & pro uetustate necessitudinis, & pro beneficijs uestris, et pro dignitate ipsius facere debeo. Vale.

M. CICERO P. SERVILIO COLLEGAE. S. D.

C. Curtius Mithres est ille quidē, ut scis, libertus Postumij, familiarissimi mei: sed me colit, & obseruat æque, atque illum ipsum patronum suum. apud eum ego sic Epheſi fui, quotiescunque fui, tanquā domi meæ: multaq; acciderūt, in quibus et beneuolentiam eius erga me experirer, et fidem: itaque si quid aut mihi, aut meorum cuipiā in Asia opus est, ad hunc scribere consueui, huius cum opera, et fide, tum domo, et re uti, tanquam mea. hæc ad te eo pluribus scripsi, ut intelligeres, me non uulgariter, nec ambitiose, sed ut pro homine intimo, ac mihi perneceſſario scribere. peto igitur à te, ut in ea controuersia, quam habet de fundo cum quodā Colophonio, & in cæteris rebus, quantum fides tua patietur, quantumq; tuo cōmodo poteris, tantum ei honoris mei causa commodes, etsi, ut eius modestiam cognoui, grauis tibi nulla in re erit. si & mea commendatione, et mea probitate assecutus erit, uti de se bene existimes: omnia se adeptum arbitrabitur. ut igitur eum recipias in fidem habeasq; in numero tuorum, te uehementer etiam atque etiam rogo. ego, quæ te uelle, quæq; ad te pertinere arbitrabor, omnia studiose, diligenterq; curabo. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CICERO P. SERVILIO COLLEGAE. S. D.

QVia non est obscura tua in me beneuolentia, sic fit, ut multi per me tibi uelint commendari. ego autem tribuo nonnunquam in uulgus, sed plerunque necessarijs, ut hoc tempore. nam cum T. Ampio Balbo mihi summa familiaritas, necessitudoq; est. eius libertum T. Ampium Menandrum, hominem frugi, & modestum, & patrono, & nobis uehementer probatum, tibi commendo maiorem in modum. uehementer mihi gratum feceris, si quibuscunque rebus sine tua molestia poteris, ei cõmodaris. quod ut facias, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. CICERO P. SERVILIO COLLEGAE S.

MVltos tibi commendem necesse est, quando omnibus nota nostra necessitudo est, tuaq; in me beneuolentia. sed tametsi omnium causa, quos commendo, uelle debeo: tamen cum omnibus non eadem mihi causa est. T. Agusius & comes meus fuit illo miserrimo tempore, & omnium itinerum, nauigationum, laborum, periculorum meorum socius: neque hoc tempore discessisset à me, nisi ego ei permisissem. quare sic tibi eum commendo, ut unum de meis domesticis, & maxime necessarijs. pergratum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat hanc commendationem sibi magno usui, atque adiumento fuisse. Vale.

M. CICERO

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CIC. P. SERVILIO COLLEGAE S.

CErelliæ, necessariæ meæ, rem, nomina, possessiones Asiaticas commendaui tibi præsens in hortis tuis, quàm potui diligentissime: tuq; mihi pro tua consuetudine, proq; tuis in me perpetuis, maximisq; officijs omnia te facturum liberalissime recepisti. meminisse te id spero: scio enim solere. sed tamen Cerelliæ procuratores scripserunt, te propter magnitudinem prouinciæ, multitudinemq; negotiorum etiam atque etiam esse commonefaciendum. peto igitur, ut memineris, te omnia, quæ tua fides pateretur, mihi cumulate recepisse. equidem existimo, habere te magnam facultatem (sed hoc tui est consilij, & iudicij) ex eo S. C. quod in hæredes C. Vennonij factum est, Cerelliæ commodandi. id S. C. tu interpretabere pro tua sapientia: scio enim eius ordinis auctoritatem semper apud te magni fuisse. quod reliquum est, sic uelim existimes, quibuscunque rebus Cerelliæ benigne feceris, mihi te gratissimum esse facturum. Vale.

M. CIC. Q. PHILIPPO PRO CONS. S.

GRatulor tibi, quòd ex prouincia saluum te ad tuos recepisti incolumi fama, & rep. quòd si Romæ te uidissem, coram gratias egissem, quòd tibi L. Egnatius, familiarissimus meus, absens, L. Oppius præsens curæ fuisset. Cum Antipatro Derbete mihi non solum hospitium, uerum etiam summa familiaritas intercedit. ei te uehementer succensuisse audiui, & moleste tuli. de re nihil possum iudicare, nisi illud

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

mihi certe persuadeo, te talem uirum nihil temere fecisse. à te autem pro uetere nostra necessitudine etiam atque etiam peto, ut eius filios, qui in tua potestate sunt, mihi potissimum condones: nisi quid existimas in ea re uiolari existimationem tuam: quod ego si arbitrarer, nunquam te rogarem, mihiq; tua fama multo antiquior esset, quàm illa necessitudo est. sed mihi ita persuadeo, (potest fieri, ut fallar) eam rem laudi tibi potius, quàm uituperationi fore. quid fieri possit, & quid mea causa facere possis, (nam, quid uelis, non dubito) uelim, si tibi graue non erit, certiorem me facias. Vale.

M. CIC. Q. PHILIPPO PRO CONS. S.

Etsi non dubito pro tua in me obseruantia, proq; nostra necessitudine, quin commendationem meam memoria teneas: tamen etiam atque etiam eundem tibi L. Oppium, familiarem meũ, præsentem, & L. Egnatij, familiarissimi mei, absentis negotia commendo. tanta mihi cum eo necessitudo est, familiaritasq; , ut, si mea res esset, non magis laborarem. quapropter gratissimum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat, me à te tantum amari, quantum ipse existimo. hoc mihi gratius facere nihil potes. idq; ut facias, te uehementer rogo. Vale.

M. CICERO T. TITIO T. F. LEGATO S.

Etsi non dubito, quin apud te mea commẽdatio prima satis ualeat: tamen obsequor homini familiarissimo C. Auiano Flacco: cuius causa omnia sum cupio, tum mehercule etiam debeo. de

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

quo & præsens tecum egi diligenter, cum tu mihi humanissime respondisti: & scripsi ad te accurate antea. sed putat interesse sua, me ad te quamsæpissime scribere. quare uelim, mihi ignoscas, si illius uoluntati obtemperans, minus uidebor meminisse constantiæ tuæ. à te idem illud peto, ut de loco, quò deportet frumentum, et de tempore Auiano commodes. quorum utrunque per eundem me obtinuit triennium, dum Pompeius isti negotio præfuit. summa est, in quo mihi gratissimum facere possis, si curaris, ut Auianus, quando se à me amari putat, me à te amari sciat. erit id mihi pergratum. Vale.

M. CICERO QVATVORVIRIS, ET DECVRIONIBVS S. D.

TAntæ mihi cum Q. Hippio causæ necessitudinis sunt, ut nihil possit esse coniunctius, quàm nos inter nos sumus. quòd nisi ita esset, uterer mea consuetudine, ut uobis nulla in re molestus essem. etenim uos mihi optimi testes estis, cum mihi persuasum esset, nihil esse, quod à uobis impetrare non possem, nunquam me tamen grauem uobis esse uoluisse. uehementer igitur uos etiam atque etiam rogo, ut honoris meis causa liberalissime C. Valgium Hippanum tractetis, remq; cum eo conficiatis, ut, quam possessionem habet in agro Fregellano, à uobis emptam, eam liberam, & immunem habere possit. id si à uobis impetraro, summo me beneficio uestro affectum arbitrabor. Valete.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CICERO P. SVLPICIO IMP. S.

CVm his temporibus non ſane in ſenatum uen titarem, tamen, ut tuas literas legi, non exiſti maui me ſaluo iure noſtræ ueteris amicitiæ, multorumq; inter nos officiorum facere poſſe, ut honori tuo deeſſem. itaque affui, ſupplicationemq; tibi lubēter decreui: nec reliquo tempore ullo aut rei, aut exiſtimationi, aut dignitati tuæ deero. atque ut hoc tui neceſſarij ſciant, hoc me animo erga te eſſe; uelim, facias eos per literas certiores; ut, ſi quid tibi opus ſit, ne dubitent mihi iure ſuo denunciare. M. Bollanum, uirum bonū, et fortem, et omnibus rebus ornatum, meumq; ueterem amicum, tibi magnopere cōmendo. pergratum mihi feceris, ſi curaris, ut is intelligat hanc cōmendationem ſibi magno adiumento fuiſſe. ipſumq;, uirum optimum, gratiſſimumq; cognoſces. promitto tibi, te ex eius amicitia magnam uoluptatē eſſe capturum. Præterea à te peto maiorem in modū pro noſtra amicitia, et pro tuo perpetuo in me ſtudio, ut in hac re etiam elabores. Dionyſius ſeruus meus, qui meam bibliothecam multorū nummorum tractauit, cum multos libros ſurripuiſſet, nec ſe impune laturū putaret, aufugit. is eſt in prouincia tua. eum et M. Bollanus, familiaris meus, et multi alij Naronæ uiderunt. ſed cum ſe à me manumiſſum eſſe diceret, crediderunt. hunc tu ſi mihi reſtituendum curaris, non poſſum dicere, quàm mihi gratum futurum ſit. res ipſa parua, ſed animi mei dolor magnus eſt. ubi ſit, et quid fieri poſſit, Bollanus te docebit. ego, ſi hominē per te recuperaro, ſummo me à tebeneficio affectū arbitrabor. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

CICERO ALLIENO PRO CONS. S. D.

Emocritus Sycionius non ſolum hoſpes meus
D eſt, ſed etiam, quod non multis contingit, Græ
cis præſertim, ualde familiaris: eſt enim in
eo ſumma probitas, ſumma uirtus, ſumma in hoſpites
liberalitas, & obſeruantia: meq; præ cæteris & colit,
& obſeruat, & diligit. eum tu non modo ſuorum ci=
uium, uerum etiam prope Achaiæ principem cognoſces.
huic ego tantummodo aditum ad tuam cognitionem pa
tefacio, et munio. cognitum, per te ipſum, quæ tua na
tura eſt, dignum tua amicitia, atque hoſpitio iudicabis.
peto igitur à te, ut his literis lectis recipias eum in tuam
fidem, pollicere omnia te facturum mea cauſa. de reli=
quo, ſi, id quod confido, fore dignum eum tua amici=
tia, hoſpitioq; cognoueris; peto, ut eum complectare,
diligas, in tuis habeas. erit id mihi maiorem in modum
gratum. Vale.

CICERO ALLIENO PRO CONS. S. D.

T te ſcire arbitror, quanti fecerim C. Auianũ
E Flaccum: & ego ex ipſo audieram, optimo,
& gratiſſimo homine, quàm à te liberaliter
eſſet tractatus. eius filios digniſſimos illo patre, meosq;
neceſſarios, quos ego unice diligo, commendo tibi ſic, ut
maiore ſtudio nullos commendare poſſim. C. Auianus in
Sicilia eſt. Marcus eſt nobiſcum. ut illius dignitatem
præſentis ornes, rem utriuſque defendas, te rogo. hoc
mihi gratius in iſta prouincia facere nihil potes. idq; ut
facias, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM, AD TERENTIAM VXOREM, LIBER XIIII.

M. CICERO TERENTIAE, ET TVLLIOLAE, ET CICERONI SVIS S. P. D.

ET literis multorũ, et ſermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam uirtutem, & fortitudinem eſſe, teq; nec animi, nec corporis laboribus defatigari. me miſerum, te iſta uirtute, fide, probitate, humanitate in tantas ærumnas propter me incidiſſe? Tulliolamq; noſtram, ex quo patre tantas uoluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus? nam quid ego de Cicerone dicam? qui cum primum ſapere cœpit, acerbiſſimos dolores, miſeriasq; percepit. quæ ſi, ut tu ſcribis; fato facta putarem, ferrem paulo facilius: ſed omnia ſunt mea culpa commiſſa, qui ab ijs me amari putabam, qui inuidebant; eos non ſequebar, qui petebant. quòd ſi noſtris conſilijs uſi eſſemus, neque apud nos tantum ualuiſſet ſermo aut ſtultorum amicorum, aut improborum: beatiſſimi uiueremus. nunc quando ſperare nos amici iubent, dabo operam, ne mea ualetudo tuo labori deſit. res quanta ſit, intelligo; quantoq; fuerit facilius manere domi, quàm redire. ſed tamen ſi omnes tribunos pl. habemus, ſi Lentulum tam ſtudioſum, quàm uidetur, ſi uero etiam Pompeium, et Cæſarem: non eſt deſperandum. De familia, quo mo-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

do placuisse amicis scribis, faciemus. De loco, nunc quidem iam abijt pestilentia: sed quandiu fuit, me non attigit. Plancius, homo officiosissimus, me cupit esse secum, et adhuc retinet. ego uolebam loco magis deserto esse in Epiro, quo neque Hispo ueniret, nec milites: sed adhuc Plancius me retinet: sperat posse fieri, ut mecum in Italiam decedat. quem ego diem si uidero; & si in uestrũ complexum uenero; ac si & uos, & me ipsum recuperaro: satis magnum mihi fructum uidebor percepisse et uestræ pietatis, & meæ. Pisonis humanitas, uirtus, amor in omnes nos tantus est, ut nihil supra possit. utinam ea res ei uoluptati sit: gloriæ quidem uideo fore. De Q. fratre nihil ego te accusaui: sed uos, cum præsertim tam pauci sitis, uolui esse quamconiunctissimos. Quibus me uoluisti agere gratias, egi, & me à te certiorem factum esse scripsi. Quod ad me mea Terentia scribis, te uicum uendituram: quid, obsecro te, (me miserum) quid futurum est? & si nos premet eadem fortuna, quid puero misero fiet? non queo reliqua scribere, (tãta uis lacrymarum est) ne te in eundem fletum adducam. tantum scribo: si erunt in officio amici, pecunia non deerit: si non erunt, tu efficere tua pecunia nõ poteris. per fortunas miseras nostras uide, ne puerum perditum perdamus. cui si aliquid erit, ne egeat: mediocri uirtute opus est, & mediocri fortuna, ut cætera consequatur. Fac ualeas, & ad me tabellarios mittas, ut sciam quid agatur, et uos quid agatis. mihi omnino iam breuis expectatio est. Tulliolæ, et Ciceroni salutẽ dic.

Valete. D. ante diem VI. cal. Dec. Dyrrhachij. Dyrrhachium ueni, quòd et libera ciuitas est, & in me

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

officiosa, & proxima Italiæ. sed si offendet me loci celebritas, alio me conferam, & ad te scribam.

M. CICERO TERENTIAE, ET TVLLIOLAE, ET CICERONI SVIS S. P. D.

NOli putare, me ad quenquam longiores epistolas scribere, nisi si quis ad me plura scripsit, cui puto rescribi oportere. nec enim habeo, quod scribam: nec hoc tempore quidquam difficilius facio. ad te uero, & ad nostrã Tulliolam non queo sine plurimis lacrymis scribere. uos enim uideo esse miserrimas, quas ego beatissimas semper esse uolui: idq; præstare debui, &, nisi tam timidi fuissemus, præstitissem. Pisonem nostrum merito eius amo plurimum. eum, ut potui, per literas cohortatus sum, gratiasq; egi, ut debui. In nouis tribunis pl. intelligo spem te habere. id erit firmum, si Pompeij ueluntas erit: sed Cras sum tamen metuo. à te quidem omnia fieri fortissime, et amantissime uideo. nec miror: sed mœreo casum eius modi, ut tantis tuis miserijs meæ miseriæ subleuentur. nam ad me P. Valerius homo officiosus scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum à Vesta ad Tabulam Valeriam ducta esses. hem mea lux, meum desiderium, unde omnes opem petere solebant, te nunc mea Terentia sic uexari, sic iacere in lacrymis, et sordibus; idq; fieri mea culpa, qui cæteros seruaui, ut nos periremus? Quod de domo scribis, hoc est de area: ego uero tum denique mihi uidebor restitutus, si illa nobis erit restituta. uerum hæc non sunt in nostra manu. illud doleo, quæ impensa facienda est, in eius partẽ te miseram,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

& despoliatam uenire. quòd si conficitur negotium, omnia consequemur. sin eadem nos fortuna premet, etiam'ne reliquias tuas misera proijcies? obsecro te mea uita, quod ad sumptum attinet, sine alios, qui possunt, si modo uolunt, sustinere: & ualetudinem istam infirmam, si me amas, noli uexare. nam mihi ante oculos dies noctesq; uersaris: omnes labores te excipere uideo; timeo, ut sustineas: sed uideo in te esse omnia. quare ut id, quod speras, & quod agis, consequamur, serui ualetudini. Ego, ad quos scribam, nescio, nisi aut ad eos, qui ad me scribunt; aut ad eos, de quibus ad me uos aliquid scribitis. Longius, quoniam uobis ita placet, non discedam: sed uelim, quamsæpissime literas mittatis, præsertim si quid est firmius, quod speremus. Valete mea desideria, ualete. Datum ad III non. Oct. Thessalonicæ.

M. CIC. TERENTIAE, ET TVLLIAE, ET CICERONI SVIS. S. P. D.

Accepi ab Aristocrito tres epistolas, quas ego lacrymis prope deleui. conficior enim mœrore mea Terētia: nec me meæ miseriæ magis excruciant, quàm tuæ, uestræq;. ego autem hoc miserior sum, quàm tu, quæ es miserrima, quòd ipsa calamitas cōmunis est utriusque nostrum, sed culpa mea propria est. meum fuit officium, uel legatione uitare periculum; uel diligentia, & copijs resistere, uel cadere fortiter. hoc miserius, turpius, indignius nobis nihil fuit. quare cum dolore conficior, tum etiam pudore. pudet enim me, uxori meæ optimæ, suauissimis liberis

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

uirtutem, & diligentiam non præstitisse. nã mihi ante oculos dies noctesq; uersatur squalor uester, & mœror, & infirmitas ualetudinis tuæ: spes autem salutis pertenuis ostenditur. inimici sunt multi, inuidi pene omnes. eijcere nos magnum fuit, excludere facile est. sed tamen, quandiu uos eritis in spe, non deficiam, ne omnia mea culpa cecidisse uideantur. Vt tuto sim, quod laboras: id mihi nunc facillimum est, quem etiam inimici uolunt uiuere in tãtis miserijs. ego tamen faciam, quæ præcipis. Amicis, quibus uoluisti, egi gratias: & eas literas Dexippo dedi: meq; de eorum officio scripsi à te certiorem esse factum. Pisonem nostrum mirifico esse studio in nos, & officio, & ego perspicio, & omnes prædicant. Dij faxint, ut tali genero mihi præsenti tecum simul, ac cum liberis nostris frui liceat. nunc spes reliqua est in nouis tribunis pl. & in primis quidẽ diebus: nam si inueterarit, actum est. ea re ad te statim Aristocritum misi, ut ad me continuo initia rerum, & rationẽ totius negotij posses scribere. etsi Dexippo quoque ita imperaui, statim ut recurreret: & ad fratrem misi, ut crebro tabellarios mitteret: nam ego eo nomine Dyrrhachij hoc tempore, ut quamcelerrime, quid agatur, audiam, & sim tuto: ciuitas enim hæc semper à me defensa est. cum inimici nostri uenire dicentur, tum in Epirum ibo. Quod scribis, te, si uelim, ad me uenturam: ego uero, cum sciam magnã partem istius oneris abs te sustineri, te isthic esse uolo. si perficitis, quod agitis, me ad uos uenire oportet. sin autem. sed nihil est opus reliqua scribere. ex primis, aut ad summum secundis literis tuis constituere poterimus, quid nobis

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

faciendum ſit. tu modo ad me, uelim, omnia diligentiſſi me perſcribas. etſi magis iam rem, quàm literas, debeo expectare. Cura ut ualeas: et ita tibi perſuadeas, mihi te carius nihil eſſe, nec unquam fuiſſe. uale mea Terentia; quam ego uidere uideor, itaque debilitor lacrymis. Vale. Pridie cal. Dec. Dyrrhachij.

M. CIC. TERENTIAE, ET TVLLIOLAE, ET CICERONI SVIS. S. P. D.

EGo minus ſæpe ad uos do literas, quàm poſſũ, propterea quòd cũ omnia mihi tempora ſunt miſera; tũ uero, cum aut ſcribo ad uos, aut ueſtras lego, conficior lacrymis ſic, ut ferre non poſſim. quòd utinam minus uitæ cupidus fuiſſem: certe nihil, aut non multũ in uita mali uidiſſemus. quòd ſi nos ad aliquam alicuius commodi aliquando recuperandi ſpem fortuna reſeruauit: minus eſt erratum à nobis. ſin hæc mala fixa ſunt: ego uero te quamprimum mea uita cupio uidere, et in tuo complexu emori: quãdo neque dij, quos tu caſtiſſime coluiſti; neque homines, quos ego ſeruaui ſemper, nobis gratiam retulerunt. Nos Brundusij apud M. Lenium Flaccum dies XIII. fuimus, uirum optimum, qui periculum fortunarum, & capitis ſui pro mea ſalute neglexit; neque legis improbiſſimæ pœna deductus eſt, quo minus hoſpitij, et amicitiæ ius, officiumq; præſtaret. huic utinam aliquando gratiam referre poſſimus; habebimus quidem ſemper. Brundu ſio profecti ſumus ad V cal. Maias. per Macedoniam Cyzicum petebamus. ò me perditum, ò me afflictum: quid nũc rogem te, ut uenias, mulierem ægram, et cor-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

pore, & animo confectam? non rogem? sine te igitur sim? opinor, sic agam. si est spes nostri reditus, eã confirmes, et re adiuues. sin, ut ego metuo, transactum est: quoquo modo potes, ad me fac uenias. unum hoc scito: si te habebo, non mihi uidebor plane periisse. sed quid de Tulliola mea fiet? iam id uos uidete: mihi deest consilium. sed certe, quoquo modo se res habebit, illius misellæ & matrimonio, et famæ seruiendum est. quid Cicero meus, quid aget? iste uero sit in sinu semper, et complexu meo. non queo iam plura scribere: impedit mœror. Tu quid egeris, nescio; utrum aliquid teneas, an, quod metuo, plane sis spoliata. Pisonem, ut scribis, spero fore semper nostrũ. De familia liberata, nihil est, quod te moueat. primum tuis ita promissum est, te facturam esse, ut quisque esset meritus. est autem in officio adhuc Orpheus, præterea magnopere nemo. cæterorum seruorum ea causa est, ut, si res à nobis abesset, liberti nostri essent, si obtinere potuissent: sin ad nos pertinerent, seruirent, præterquam oppido pauci. sed hæc minora sunt. Tu quod me hortaris, ut animo sim magno, et spem habeam recuperandæ salutis: id uelim sit eiusmodi, ut recte sperare possimus. nũc miser quando tuas iam literas accipiam? quis ad me perferet? quas ego expectassem Brundusij, si esset licitum per nautas, qui tempestatem prætermittere noluerunt. Quod reliquum est, sustenta te mea Terentia, utpotes. honestissime uiximus: floruimus. non uitium nostrum, sed uirtus nostra nos afflixit. peccatum est nullum, nisi quòd non una animam cum ornamentis amisimus. sed si hoc fuit liberis nostris gratius, nos uiuere: cætera, quan-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

quam ferenda non sunt, feramus. atque ego, quite confirmo, ipse me non possum. Clodium Philetærum, quòd ualetudine oculorum impediebatur, hominem fidelem, remisi. Sallustius officio uincet omnes spes. Cennius est perbeneuolus nobis: quem semper spero tui fore obseruantem. Sica dixerat se mecum fore, sed Brundusio discessit. Cura, quoad potes, ut ualeas: et sic existimes, uehementius me tua miseria, quàm mea, commoueri. mea Terentia, fidissima, atque optima uxor, & mea carissima filiola, & spes reliqua nostra Cicero, ualete. Pridie cal. Maij, Brundusio.

M. CICERO TERENTIAE, ET TVLLIAE SVIS S.

Itu, & Tullia, lux nostra, ualetis, ego, & S suauissimus Cicero ualemus. Pridie id. Oct. Athenas uenimus, cum sane aduersis uentis usi essemus, tardéq;, & incommode nauigassemus. de naui exeuntibus nobis Acastus cum literis præsto fuit, uno et uigesimo die, sane strenue. Accepi tuas literas: quibus intellexi te uereri, ne superiores mihi redditæ nō essent. omnes sunt redditæ: diligentissimeq; à te perscripta sunt omnia: idq; mihi gratissimū fuit. neque sum admiratus, hanc epistolam, quam Acastus attulit, breuem fuisse: iā enim me ipsum expectas, siue nos ipsos: qui quidem quamprimum ad uos uenire cupimus. etsi, in quā remp. uenimus, intelligo. cognoui enim ex multorum amicorum literis, quas attulit Acastus, ad armamem spectare: ut mihi, cum uenero, dissimulare non liceat, quid sentiam. sed quando subeunda fortuna est, eo

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

citius dabimus operam, ut ueniamus, quo facilius de tota re deliberemus. tu, uelim, quod commodo ualetudinis tuæ fiat, quàm longissime poteris, obuiam nobis prodeas. De hæreditate Prætiana, quæ quidē mihi magno dolori est, (ualde enim illum amaui) hoc, uelim, cures; si auctio ante meum aduentū fiet, ut Pomponius, aut, si is minus poterit, Camillus nostrum negotium curet. nos, cum uenerimus, reliqua per nos agemus. sin tu iam Romā profecta eris, tamen curabis, ut hoc ita fiat. nos, si dij adiuuabunt, circiter id. Nou. in Italia speramus fore. Vos mea suauissima, et optatissima Terentia, & Tulliola, si nos amatis, curate, ut ualeatis. Athenis, ad XV cal. Nou.

M. CICERO TERENTIAE SVAE S. P. D.

NEc sæpe est, cui literas demus: nec rem habemus ullam, quam scribere uelimus. Ex tuis literis, quas proxime accepi, cognoui, prædiū nullum uenire potuisse. quare uideas, uelim, quo modo satisfiat ei, cui scis me satisfieri uelle. Quòd nostra tibi gratias agit, id ego non miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere possit. Pollicem, si adhuc non est profectus, quamprimum fac extrudas. Cura, ut ualeas. idib. Quint. Vale.

M. CICERO TERENTIAE SVAE S. P. D.

OMnes molestias, & solicitudines, quibus & te miserrimam habui, id quod mihi molestissimum est, Tulliolamq;, quæ nobis nostra uita dulcior est, deposui et eieci. quid causæ autem fue-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

rit, postridie intellexi, quàm à uobis discessi. χολὴν ἄκρατον noctu eieci. statim ita sum leuatus, ut mihi deus aliquis medicinam fecisse uideatur, cui quidem tu deo, quemadmodum soles, pie, & caste satisfacias, id est Apollini, & Aesculapio. Nauim spero nos ualde bonam habere. in eam simul atque conscendi, hæc scripsi. deinde conscribam ad nostros familiares multas epistolas: quibus te, & Tulliolam nostram diligentissime commendabo. cohortares uos, quo animo fortiore essetis, nisi uos fortiores cognoscerem, quàm quenquam uirum. & tamen eiusmodi spero negotia esse, ut & uos isthic commodissime sperem esse, & me aliquando cum similibus nostri remp. defensurum. Tu primum ualetudinem tuam, uelim, cures: deinde, tibi si uidebitur, uillis ijs utare, quæ longissime aberunt à militibus. fundo Arpinati bene poteris uti cum familia urbana, si annona carior fuerit. Cicero bellissimus tibi salutem plurimam dicit. Etiam atque etiam uale. Datum VII. id. Iun.

M. CICERO TERENTIAE SVAE S. P. D.

S I uales, bene est: ego quidem ualeo. Valetudinem tuam, uelim, cures diligentissime: nam mihi et scriptum, et nunciatum est, te in febrim subito incidisse. Quod celeriter me fecisti de Cæsaris literis certiorem, fecisti mihi gratum. item posthac, si quid opus erit, si quid acciderit noui, facies, ut sciam. Cura ut ualeas. uale. Datum IIII. non. Iun.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CICERO TERENTIAE SVAE S. P. D.

A D cæteras meas miſerias acceſſit dolor è Dolabellæ ualetudine, & Tulliæ. omnino de omnibus rebus nec quid conſilij capiam, nec quid faciam, ſcio. Tu, uelim, tuam, & Tulliæ ualetudinem cures. Vale.

M. CICERO TERENTIAE SVAE S. P. D.

Q Vid fieri placeret, ſcripſi ad Pōponium ſerius, quàm oportuit. cum eo ſi locuta eris, intelliges, quid fieri uelim. apertius ſcribi, quando ad illum ſcripſeram, neceſſe non fuit. de ea re, & de cæteris rebus quamprimum, uelim, nobis literas mittas. Valetudinem tuam cura diligenter. uale. VII id. Quint.

M. CICERO TERENTIAE SVAE S. P. D.

S I uales, bene eſt: ego ualeo. Tullia noſtra uenit ad me prid. id. Iun. cuius ſumma uirtute, & ſingulari humanitate, grauiore etiam ſum dolore affectus, noſtra factum eſſe negligentia, ut longe alia in fortuna eſſet, atque eius pietas, ac dignitas poſtulabat. Nobis erat in animo, Ciceronem ad Cæſarem mittere, et cum eo Cn. Salluſtium. ſi profectus erit, faciam te certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. uale. XVII cal. Quint.

M. CICERO

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CIC. TERENTIAE SVAE S. P. D.

Quod nos in Italiam ſaluos ueniſſe gaudes, per-
petuo gaudeas, uelim. ſed perturbati dolore animi, magnisq; iniurijs, metuo, ne id conſilij ceperimus, quod non facile explicare poſſimus. quare, quantum potes, adiuua. quid autem poſſis, mihi in mentem non uenit. in uiam quod te des hoc tempore, nihil eſt. & longum eſt iter, & non tutum: & non uideo, quid prodeſſe poſſis, ſi ueneris. Vale. Datum pridie non. Nou. Brunduſio.

M. CIC. TERENTIAE SVAE S. P. D.

Quod ſcripſi ad te proximis literis de nuncio remittendo; quæ ſit iſtius uis hoc tempore, et quæ concitatio multitudinis, ignoro. ſi metuendus iratus eſt, quies tamen ab illo fortaſſe naſcetur. totum, iudicabis, quale ſit; & quod in miſerrimis rebus minime miſerum putabis, id facies. Vale. VI. id. Quint.

TVLLIVS TERENTIAE, ET PATER TVLLIOLAE, DVABVS ANIMIS SVIS; ET CICERO MATRI OPTIMAE, SVAVISSIMAE SORORI S. P. D.

Si uos ualetis, nos ualemus. Veſtrum iam conſilium eſt, non ſolum meum, quid ſit uobis faciendum. ſi ille Romam modeſte uenturus eſt, recte in præſentia domi eſſe poteſtis. ſin homo amens

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

diripiendam urbem daturus est; uereor, ut Dolabella ipse satis uobis prodesse possit. etiam illud metuo, ne iam intercludamini, ut, cum uelitis, exire non liceat. reliquum est, quod ipsæ optime considerabitis, uestri similes fœminæ sint ne Romæ. si enim non sunt: uidendum est, ut honeste uos esse possitis. quomodocunque nunc se res habet; modo ut hæc uobis loca tenere liceat, bellissime uel mecum, uel in nostris prædijs esse poteritis. etiam illud uerendum est, ne breui tempore fames in urbe sit. his de rebus, uelim, cum Pomponio, cum Camillo, cum quibus uobis uidebitur, consideretis: ad summam, animo forti sitis. Labienus rem meliorem fecit. adiuuat etiam Piso, quòd ab urbe discedit, & sceleris condemnat generum suum. Vos meæ carissimæ animæ quam sæpissime ad me scribite, & uos quid agatis, & quid isthic agatur. Quintus pater, & filius, & Rufus uobis salutem dicunt. Valete. VIII. cal. Quint. Minturnis.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S. D.

S Iuales, bene est: ego ualeo. Constitueramus, ut ad te antea scripseram, obuiam Ciceronem Cæsari mittere: sed mutauimus consilium, quia de illius aduentu nihil audiebamus. De cæteris rebus, etsi nihil erat noui, tamen quid uelimus, et quid hoc tempore putemus opus esse, ex Sica poteris cognoscere. Tulliam adhuc mecum teneo. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. XII. cal. Quint.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S. D.

S I uales, bene est: ego ualeo. Etsi eiusmodi tempora nostra sunt, ut nihil habeam, quod aut à te literarum expectem, aut ipse ad te scribam: tamen nescio quo modo et ipse uestras literas expecto, et scribo ad uos, cum habeo, qui ferat. Volumnia debuit in te officiosior esse, quàm fuit: et id ipsum, quod fecit, potuit diligentius facere, & cautius: quanquam alia sunt, quæ magis curemus, magisq; doleamus: quæ me ita conficiunt, ut ij uoluerunt, qui me de mea sententia detruserunt. Cura ut ualeas. pridie non. Ian.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S. D.

S I quid haberem, quod ad te scriberem; facerem id & pluribus uerbis, & sæpius. nunc, quæ sunt negotia, uides. ego autem quo modo sim affectus, ex Lepta, & Trebatio poteris cognoscere. tu fac, ut tuam, & Tulliæ ualetudinem cures. Vale.

TVLLIVS TERENTIAE, ET PATER SVAVISSIMAE FILIAE; CICERO MATRI, ET SORORI S. D. P.

C Onsiderandum uobis etiam atque etiã animæ meæ diligenter puto, quid faciatis; Romæne sitis, an mecum in aliquo tuto loco. id non solum meum consilium est, sed etiam uestrum. mihi ueniunt in mentem hæc; Romæ uos esse tuto posse per Dolabellam; eamq; rem posse nobis adiumento esse, si quauis, aut si quæ rapinæ fieri cœperint: sed rursus illud me

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

mouet, quod uideo omnes bonos abesse Roma, et eos mulieres suas secum habere. hæc autem regio, in qua ego sum, nostrorum est tum oppidorum, tum etiam prædiorum: ut & multum esse mecũ, &, cum abieritis, commode etiam in nostris prædijs esse possitis. mihi plane non satis constat adhuc, utrum sit melius. uos uidete, quid aliæ faciant isto loco fœminæ; & ne, cum uelitis, exire non liceat. id, uelim, diligenter etiam atque etiã uobiscum, & cum amicis consideretis. Domus ut propugnacula, & præsidium habeat, Philotimo dicetis. Et uelim tabellarios instituatis certos, ut quotidie aliquas à uobis literas accipiam. Maxime autem date operam, ut ualeatis, si nos uultis ualere. VIII. cal. Febr. Formijs.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S. D.

IN maximis meis doloribus excruciat me ualetudo Tulliæ nostræ. de qua, nihil est, quod ad te plura scribam: tibi enim æque magnæ esse certo scio. Quod me propius uultis accedere, uideo ita esse faciendum: etiam ante fecissem: sed me multa impedierunt, quæ ne nunc quidem expedita sunt. sed à Pomponio expecto literas, quas ad me quamprimum perferendas cures, uelim. Da operam ut ualeas.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S. D.

IN Tusculanum nos uenturos putamus aut nonis, aut postridie. ibi, fac, ut sint omnia parata: plures enim fortasse nobiscum erunt: &, ut arbitror, diutius ibi commorabimur. labrum si in balneo non est, fac ut sit: item cætera, quæ sunt ad

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

uictum, & ad ualetudinem necessaria. Vale.
V. cal. Oct. de Venusino.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S. D.

S I uales, bene est: ego ualeo. Da operam, ut conualescas: quod opus erit, ut res, tempusq; postulat, prouideas, atque administres, et ad me de omnibus rebus quamsæpissime literas mittas. Vale.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S. D.

S I uales, bene est: ego ualeo. Nos quotidie tabellarios uestros expectamus: qui si uenerint, fortasse erimus certiores, quid nobis faciendum sit; faciemusq; te statim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. cal. Sept.

TVLLIVS TERENTIAE S. D.

S I uales, bene est: ego ualeo. Nos neque de Cæsaris aduentu, neque de literis, quas Philotimus habere dicitur, quidquam adhuc certi habemus. si quid erit certi, faciam te statim certiorem. Valetudinem tuam, fac, ut cures. Vale. IIII. id. Sext.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S. D.

S I uales bene est: ego ualeo. Redditæ mihi iam tandem sunt à Cæsare literæ, satis liberales: & ipse opinione celerius uenturus esse dicitur. cui utrum obuiam procedam, an hic eum expectē, cum constituero, faciam te certiorem. Tabellarios mihi, uelim, quamprimum remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. pridie id. Sext.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM, AD SENATVM, ET ALIOS, LIBER XV.

M. TVLLIVS M. F. CICERO PRO CONS. S.P.D. CONSS. PRAETT. TRIBB. PL. S. P. Q. R.

SI uos bene ualetis, bene est: ego quidem ualeo. Etsi non dubie mihi nunciabatur, Parthos transisse Euphratem cum omnibus fere suis copijs: tamen, quòd arbitrabar à M. Bibulo pro consule certiora de his rebus ad uos scribi posse, statuebam mihi non necesse esse publice scribere ea, quæ de alterius prouincia nunciarentur. postea uero quàm certissimis auctoribus, legatis, nuncijs, literis sum certior factus: uel quòd tanta res erat, uel quòd nondum audieramus Bibulum in Syriam uenisse, uel quia administratio huius belli mihi cum Bibulo pene est communis; quæ ad me delata essent, scribenda ad uos putaui. Regis Antiochi Commageni legati primi mihi nunciarunt, Parthorum magnas copias Euphratem transire cœpisse. quo nuncio allato, cum essent nonnulli, qui ei regi minorem fidem habendam putarent, statui expectandum esse, si quid certius afferretur. ad XIII. cal. Oct. cum exercitum in Ciliciam ducerem, in finibus Lycaoniæ, & Cappadociæ mihi literæ redditæ sunt à Tarcondimoto, qui fidelissimus socius trans Taurum, amicissimusq; populi R. existimatur; Pacorum, Orodis regis Parthorum fi-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

populi R. continentur. quamobrem autem in hoc prouinciali delectu ſpem habeatis aliquam, cauſa nulla eſt: neque multi ſunt: & diffugiunt, qui ſunt, metu oblato: & quod genus hoc militum ſit, iudicauit, uir fortiſſimus, M. Bibulus in Aſia: qui, cum ei permiſiſſetis, delectum habere noluerit. nam ſociorum auxilia propter acerbitatem, atque iniurias imperij noſtri aut ita imbecilla ſunt, ut non multum nos iuuare poſſint; aut ita alienata à nobis, ut neque expectandum ab ijs, neque committendum ijs quidquam eſſe uideatur. Regis Deiotari & uoluntatem, & copias, quantæcunque ſunt, noſtras eſſe duco. Cappadocia eſt inanis. reliqui reges, tyranniq; neque opibus ſatis firmi, nec uoluntate ſunt. mihi in hac paucitate militum, animus certe non deerit: ſpero, ne conſilium quidem. quid caſurum ſit, incertum eſt. utinam ſaluti noſtræ conſulere poſſimus: dignitati certe conſulemus. Valete.

M. TVLLIVS M. F. CICERO PRO CONS. S. D. CONSS. PRAETT. TRIBB. PL. S. P. Q. R.

Vos bene ualetis, bene eſt: ego quidem ualeo.

S *Cum prid. cal. Sex. in prouinciam uenissem, neque maturius, propter itinerum, et nauigationum difficultatem, uenire potuiſſem: maxime conuenire officio meo, reiq; pub. conducere putaui, parare ea, quæ ad exercitum, quæq; ad rem militarẽ pertinerent. quæ cum eſſent à me cura magis, & diligentia, quàm facultate, & copia conſtituta; nunciijq;, et literæ de bello à Parthis in prouinciam Syriam illato quotidie fere*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

afferrentur: iter mihi faciendum per Lycaoniã, & per Isauros, & per Cappadociam arbitratus sum: erat enim magna suspicio, Parthos, si ex Syria egredi, atque irrumpere in meam prouinciam conarẽtur, iter eos per Cappadociam, quòd ea maxime pateret, esse facturos. itaque cum exercitu per Cappadociæ partem eam, quæ cum Cilicia cõtinens est, iter feci: castraq; ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locaui: ut Artuasdes, rex Armenius, quocunque animo esset, sciret, non procul à suis finibus exercitum populi R. esse; & Deiotarum, fidelissimum regem, atque amicissimum reip. nostræ, maxime coniunctum haberem, hominem, cuius et consilio, & opibus adiuuari posset resp. quo cũ in loco castra haberem, equitatumq; in Ciliciam misissem, ut et meus aduentus ijs ciuitatibus, quæ in ea parte essent, nunciatus, firmiores animos hominum faceret; et ego mature, quid ageretur in Syria, scire possem: tempus eius tridui, quod in ijs castris morabar, in magno officio, & necessario mihi ponendum putaui. cum enim uestra auctoritas intercessisset, ut ego regem Ariobarzanem, Eusebẽ, & Philoromæum, tuerer; eiusq; regis salutem, & incolumitatem regni defenderem; regi, regnoq; præsidio essem; adiunxissetisq;, salutẽ eius regis populo, senatuiq; magnæ curæ esse, quod nullo unquam de rege decretum esset à nostro ordine: existimaui me iudicium uestrum ad regem deferre debere, eiq; præsidium meum, & fidem, & diligentiam polliceri: ut, quando salus ipsius, et incolumitas regni mihi commendata esset à uobis, diceret, si quid uellet. quæ cum essem in consilio meo cum rege locutus; initio

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ille orationis ſuæ uobis maximas, ut debuit, deinde etiã mihi gratias egit; quòd ei permagnum, et perhonorificum uidebatur, ſenatui populoq; R. tantæ curæ eſſe ſalutem ſuam, meq; tantam diligentiam adhibere, ut & mea fides, et commendationis ueſtræ auctoritas perſpici poſſet. atque ille primo, quod mihi maximæ lætitiæ fuit, ita mecũ locutus eſt, ut, nullas inſidias neque uitæ ſuæ, neque regno, diceret, ſe aut intelligere fieri, aut etiã ſuſpicari. cum ei ego gratulatus eſſem, idq; me gaudere dixiſſem, cohortatus, ut recordaretur caſum illũ interitus paterni, et uigilanter ſe tueretur, atque admonitu ſenatus conſuleret ſaluti ſuæ: tum à me diſceſſit in oppidũ Cybiſtra. poſtero autem die cum Ariarathe fratre ſuo, et cum paternis amicis maioribus natu ad me in caſtra uenit; perturbatusq;, et flens, cũ idem et frater faceret, et amici, meam fidem, ueſtram commendationem implorare cœpit. cum admirarer, quid accidiſſet noui: dixit, ad ſe indicia manifeſtarum inſidiarum eſſe delata; quæ eſſent ante aduentum meum occultata, quòd ij, qui ea patefacere poſſent, propter metum reticuiſſent: eo autem tempore ſpe mei præſidij complures ea, quæ ſcirent, audacter ad ſe detuliſſe: in his amantiſſimum ſui, ſumma pietate præditum, fratrem dicere ea, quæ is me quoque audiẽte dicebat, ſe ſolicitatum eſſe, ut regnare uellet: id uiuo fratre ſuo accidere nõ potuiſſe: ſe tamen ante illud tempus eam rem nunquam in medium propter periculi metum protuliſſe. quæ cum eſſet locutus: monui regem, ut omnẽ diligentiam ad ſe conſeruandum adhiberet: amicosq; in patris eius fide, atque iudicio probatos, hortatus ſum, regis ſui uitam,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

docti casu acerbissimo patris eius, omni cura, custodiaq; defenderent. cum rex à me equitatum, cohortesq; de exercitu meo postularet: etsi intelligebam uestro S. C. non modo posse me id facere, sed etiam debere, tamen, cũ resp. postularet propter quotidianos ex Syria nuncios, ut quanprimum exercitum ad Ciliciæ fines adducerem; cumq; mihi rex patefactis iam insidijs non egere exercitu populi R. sed posse se suis opibus defendere uideretur; illũ cohortatus sum, ut in sua uita conseruanda primum regnare disceret; à quibus perspexisset sibi insidias paratas, in eos uteretur iure regio; pœna afficeret eos, quos necesse esset; reliquos metu liberaret; præsidio exercitus mei ad eorum, qui in culpa essent, timorem potius, quàm ad contentionem, uteretur: fore autem, ut omnes, quando S. C. nossent, intelligerẽt, me regi, si opus esset, ex auctoritate uestra præsidio futurum. ita confirmato illo, ex eo loco castra moui, et iter in Ciliciam facere instituí; cum hac opinione è Cappadocia discederem, ut consilio uestro, casu incredibili, ac pene diuino regem, quem uos honorificentissime appellassetis nullo postulante, quemq; meæ fidei commendassetis, & cuius salutem magnæ uobis curæ esse decreuissetis, meus aduẽtus præsentibus insidijs liberasset. quod ad uos à me scribi, non alienum putaui; ut intelligeretis ex ijs, quæ pene acciderunt, uos multo ante, ne ea acciderent, prouidisse: eoq; uos studiosius feci certiores, quòd in rege Ariobarzane ea mihi signa uideor uirtutis, ingenij, fidei, beneuolentiæq; erga uos perspexisse, ut non sine causa tantam curam, diligentiamq; in eius uos salutem uideamini contulisse. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CICERO IMP. S. D. M. CATONI.

CVm ad me legati missi ab Antiocho Cõmageno ueniſſent in castra ad Iconium ante diem III non. Sept. ijq; mihi nunciassent, regis Parthorum filium, quocũ esset nupta regis Armeniorum soror, ad Euphratem cum maximis Parthorum copijs, multarumq; præterea gentium magna manu uenisse, Euphratemq; iam transire cœpisse; diciq;, Armenium regem in Cappadociam impetum esse facturum: putaui pro nostra necessitudine me hoc ad te scribere oportere. publice propter duas causas nihil scripsi, quòd & ipsum Commagenum legati dicebãt ad senatum statim nuncios, literasq; misisse: & existimabam M. Bibulum pro consule qui circiter id. Sext. ab Epheso in Syriam nauibus profectus erat, quòd secundos uentos habuisset, iam in prouinciam suam peruenisse: cuius literis omnia certiora perlatum iri ad senatum putabam. Mihi, ut in huiusmodi re, tantoq; bello, maxima cura est, ut, quæ copijs, & opibus tenere uix possumus, ea mansuetudine, & continentia nostra, sociorum fidelitate teneamus. Tu, uelim, ut consuesti, nos absentes diligas, & defendas. Vale.

M. CICERO IMP. S. D. M. CATONI.

SVmma tua auctoritas fecit, meumq; perpetuum de tua singulari uirtute iudicium, ut magni mea interesse putarẽ, et res eas, quas gessissem, tibi notas esse, & non ignorari à te, qua æquitate, & continentia tuerer socios, prouinciamq;

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

administrarem : his enim à te cognitis, arbitrabar, facilius me tibi, quæ uellem, probaturum. Cum in prouinciam prid. cal. Sext. uenissem, & propter anni tẽpus ad exercitum mihi confestim esse eundum uiderem : biduum Laodiceæ fui, deinde Apameæ quatriduum, triduum Synnadis, totidem dies Philomeli. quibus in oppidis cum magni conuentus fuissent : multas ciuitates acerbissimis tributis, & grauissimis usuris, & falso ære alieno liberaui. cumq; ante aduentum meum seditione quadam exercitus esset dissipatus, quinque cohortes sine legato, sine tribuno mil. denique etiam sine centurione ullo apud Philomelum consedissent, reliquus exercitus esset in Lycaonia : M. Anneio legato imperaui, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret ; coactoq; in unum locum exercitu, castra in Lycaonia apud Iconium faceret. quod cum ab illo diligenter esset actum ; ego in castra ad VII cal. Sept. ueni : cum interea superioribus diebus ex S. C. et euocatorum firmam manum, & equitatum satis idoneum, & populorum liberorum, regumq; sociorum auxilia uoluntaria comparauissem. interim cũ exercitu lustrato iter in Ciliciam facere cœpissem, cal. Sept. legati à rege Cõmageno ad me missi, pertumultuose, neque tamen nõ uere, Parthos in Syriam transisse, nunciauerunt. quo audito, uehementer sum commotus cum de Syria, tum de mea prouincia, de reliqua denique Asia. itaque exercitum mihi ducendum per Cappadociæ regionem eam, quæ Ciliciam attingeret, putaui. nam si me in Ciliciam demisissem, Ciliciam quidẽ ipsam propter montis Amani naturam facile tenuissem, (duo sunt enim aditus in

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Ciliciam ex Syria, quorũ uterque paruis præſidijs propter anguſtias intercludi poteſt : nec eſt quidquam Cilicia contra Syriam munitius. ſed me Cappadocia mouebat, quæ patet à Syria, regeſq; habet finitimos, qui, etiã ſi ſunt amici nobis, tamẽ aperte Parthis inimici eſſe non audent. itaque in Cappadocia extrema non longe à Tauro apud oppidum Cybiſtra caſtra feci; ut & Ciliciam tuerer; & Cappadociam tenens, noua finitimorum conſilia impedirem. interea in hoc tanto motu, tantáq; expectatione maximi belli, rex Deiotarus, cui non ſine cauſa plurimum ſemper & meo, & tuo, & ſenatus iudicio tributum eſt, uir cum beneuolentia, & fide erga populum R. ſingulari, tum præſenti magnitudine, & animi, & conſilij, legatos ad me miſit, ſe cum omnibus ſuis copijs in mea caſtra eſſe uenturum. cuius ego ſtudio, officioq; cõmotus, egi ei per literas gratias : idq; ut maturaret, hortatus ſum. cum autem ad Cybiſtra propter rationem belli quinque dies eſſem cõmoratus, regem Ariobarzanem, cuius ſalutem à ſenatu te auctore commendatam habebam, præſentibus inſidijs nec opinantem liberaui : neque ſolum ei ſaluti fui, ſed etiam curaui, ut cum auctoritate regnaret. Metram, & eum, quem tu diligenter mihi commendaras, Athæneum, importunitate Athenaidis exilio multatos, maxima apud regem auctoritate, gratiaq; conſtitui. cumq; magnum bellum in Cappadocia concitaretur, ſi Sacerdos armis ſe, quod facturus putabatur, defenderet, adoleſcens & equitatu, & peditatu, & pecunia paratus, & toto, ijs, qui nouari aliquid uolebant : perfeci, ut è regno ille diſcederet; rexq; ſine tu-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

multu, ac sine armis, omni auctoritate aulæ communita, regnum cum dignitate obtineret. interea cognoui multorum literis, atque nuncijs, magnas Parthorum copias, & Arabum ad oppidum Antiochiam accessisse, magnumq; eorum equitatum, qui in Ciliciam transisset, ab equitum meorum turmis, & à cohorte prætoria, quæ erat Epiphaneæ præsidij causa, occidione occisum. quare cum uiderem, à Cappadocia Parthorum copias auersas, non longe à finibus esse Ciliciæ: quàm potui maximis itineribus ad Amanum exercitum duxi. quò ut ueni; hostem ab Antiochia recessisse, Bibulum Amtiochiæ esse cognoui; Deiotarumq; confestim iam ad me uenientem cum magno, & firmo equitatu, & peditatu, & cum omnibus suis copijs, certiorem feci, non uideri esse causam, cur abesset à regno; meq; ad eum, si quid forte noui accidisset, statim literas, nunciosq; missurum esse. cumq; eo animo uenissem, ut utrique prouinciæ, si ita tempus ferret, subuenirem: tamen id, quod iam ante statueram uehementer interesse utriusque prouinciæ, pacare Amanum, & perpetuum hostem ex eo monte tollere, agere perrexi. cumq; me discedere ab eo monte simulassem, & alias partes Ciliciæ petere; abessemq; ab Amasino iter unius diei; & castra apud Epiphaneam fecissem: ad IIII id. Oct. cum adueseraſceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, ut ad IIII id. Oct. cum luceſceret, in Amanum ascenderem: distributisq; cohortibus, & auxilijs, cum alijs Quintus frater legatus mecum simul, alijs C. Pontinus legatus, reliquis M. Anneius, & L. Tulleius legati præessent,

plerosque nec opinantes oppressimus, qui occisi, captiq; sunt, intercluſi fuga. Eranam autem, quæ fuit non ui ci inſtar, ſed urbis, quòd erat Amani caput, itemq; Sepyram, & Ceminorim, acriter, & diu repugnantibus, Pontino illam partem Amani tenente, ex antelucano tempore uſque ad horam diei decimã, magna multitudine hoſtium occiſa, cepimus: caſtellaq; ſex capta: complura incendimus. his rebus ita geſtis, caſtra in radicibus Amani habuimus apud Aras Alexandri quatriduum: & in reliquijs Amani delendis, agrisq; uaſtandis, quæ pars eius montis meæ prouinciæ eſt, id tempus omne conſumpſimus. confectis his rebus, ad oppidum Eleutherocilicum Pindeniſſum exercitum adduxi. quod cum eſſet altiſſimo, & munitiſſimo loco, ab ijsq; incoleretur, qui ne regibus quidem unquam paruiſſent, cũ & fugitiuos reciperent, et Parthorum aduentum acerrime expectarent. ad exiſtimationem imperij pertinere arbitratus ſum, comprimere eorum audaciam, quo facilius etiam cæterorum animi, qui alieni eſſent ab imperio noſtro, frangerentur. uallo, & foſſa circundedi: ſex caſtellis, caſtrisq; maximis ſepſi: aggere: uineis, turribus oppugnaui: uſusq; tormentis multis, multis ſagittarijs, magno labore meo, ſine ulla moleſtia, ſumptu ue ſociorum, ſeptimo quinquageſimo die rem confeci; ut omnibus partibus urbis diſturbatis, aut incenſis, compulſi in poteſtatem meam peruenirent. His erant finitimi pari ſcelere, et audacia Tibarani. ab his, Pindeniſſo capto, obſides accepi. exercitum in hiberna dimiſi. Quintum fratrem negotio præpoſui, ut in uicis aut captis, aut male pacatis exercitus collocaretur.

Nunc

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Nunc uelim, tibi sic persuadeas, si de his rebus ad senatum relatum sit, me existimaturum, summam mihi laudem tributam, si tu honorem meum sententia tua comprobaris. idq;, etsi talibus de rebus grauissimos homines & rogare solere, & rogari scio, tamen admonendum potius te à me, quàm rogandum, puto. tu es enim is, qui me tuis sententijs sæpissime ornasti; qui oratione, qui prædicatione, qui summis laudibus in senatu, in concionibus ad cœlum extulisti; cuius ego semper tanta esse uerborum pondera putaui, ut uno uerbo tuo cũ mea laude coniuncto, omnia consequi me arbitrarer. te denique memini, cum cuidam clarissimo, atque optimo uiro supplicationem non decerneres, dicere, te decreturum, si referretur ob eas res, quas consul in urbe gessisset. tu idem mihi supplicationem decreuisti togato, non, ut multis rep. bene gesta, sed, ut nemini, rep. conseruata. mitto, quòd inuidiam, quòd pericula, quòd omnes meas tempestates & subieris, & multo etiam magis, si per me licuisset, subire paratissimus fueris: quòd denique inimicum meum, tuum inimicum putaris: cuius etiam interitum, ut facile intelligerem, mihi quantum tribueres, Milonis causa in senatu defendenda approbaris. à me autem hæc sunt profecta, quæ ego in beneficij loco non pono, sed in ueri testimonij, atque iudicij: non ut præstantissimas tuas uirtutes tacitus admirarer, (quis enim in te id non facit?) sed in omnibus orationibus, sententijs dicendis, causis agendis, omnibus scriptis, græcis, latinis, omni denique uarietate literarum mearum te non modo ijs, quos uidissemus, sed ijs, de quibus audissemus, omnibus anteferrem. quæres fortasse, quid sit,

quòd ego hoc neſcio quid gratulationis, & honoris à ſenatu tanti æſtimem. agam iam tecum familiariter, ut eſt & ſtudijs, & officijs noſtris mutuis, & ſumma amicitia dignum, & neceſſitudine etiam paterna. Si quiſquam fuit unquam remotus & natura, & magis etiam, ut mihi quidem ſentire uideor, ratione, atque doctrina ab inani laude, & ſermonibus uulgi, ego profecto is ſum. teſtis eſt conſulatus meus: in quo, ſicut in reliqua uita, fateor ea me ſtudioſe ſecutum, ex quibus uera gloria naſci poſſet: ipſam quidem gloriam per ſe nunquam putaui expetendam. itaque & prouinciam ornatam, & ſpem non dubiam triumphi neglexi. ſacerdotium denique, cum, quemadmodum te exiſtimare arbitror, non difficillime conſequi poſſem, non appetiui. idem poſt iniuriam acceptam, quam tu reip. calamitatem ſemper appellas, meam non modo non calamitatē, ſed etiam gloriam, ſtudui quamornatiſſima ſenatus, populiq; R. de me iudicia intercedere. itaque & augur poſtea fieri uolui, quod antea neglexeram: et eum honorem, qui à ſenatu tribui rebus bellicis ſolet, neglectum à me olim, nunc mihi expetendum puto. huic meæ uoluntati, in qua ineſt aliqua uis deſiderij ad ſanandum uulnus iniuriæ, ut faueas, adiutorq; ſis, quod paulo ante me negaram rogaturum, uehemenʒer te rogo; ſed ita, ſi non ieiunum hoc neſcio quid, quod ego geſſi, & contemnendum uidebitur, ſed tale, atque tantum, ut multi nequaquam paribus rebus honores ſummos à ſenatu conſecuti ſint. equidem etiam mihi illud animaduertiſſe uideor; (ſcis enim, quàm attente te audire ſoleam) te non tam res geſtas, quàm mores, inſtitu

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ta, atque uitam imperatorum ſpectare ſolere in habendis, aut non habendis honoribus. quod ſi in mea cauſa conſiderabis, reperies me exercitu imbecillo contra metũ maximi belli firmiſſimum præſidium habuiſſe æquitatem, & continentiam. his ego ſubſidijs ea ſum conſecutus, quæ nullis legionibus cõſequi potuiſſem: ut ex alieniſſimis ſocijs amiciſſimos, ex infideliſſimis firmiſſimos redderem, animoſq; nouarum rerum expectatione ſuſpenſos, ad ueteris imperij beneuolentiam traducerem. ſed nimis hæc multa de me, præſertim ad te, à quo uno omnium ſociorum querelæ audiuntur. cognoſces ex ijs, qui meis inſtitutis ſe recreatos putant. cumq; omnes uno prope conſenſu de me apud te ea, quæ mihi optatiſſima ſunt, prædicabunt, tum duæ maximæ clientelæ tuæ, Cyprus inſula, & Cappadociæ regnum, tecum de me loquentur: puto etiam regem Deiotarum, qui uni tibi eſt maxime neceſſarius. quæ ſi etiam maiora ſunt, et in omnibus ſeculis pauciores uiri reperti ſunt, qui ſuas cupiditates, quàm qui hoſtium copias, uincerent: eſt profecto tuum, cum ad res bellicas hæc, quæ rariora, & difficiliora ſunt, genera uirtutis adiunxeris, ipſas etiam illas res geſtas iuſtiores eſſe, & maiores, putare. extremum illud eſt, ut, quaſi diffidens rogationi meæ, philoſophiam ad te allegem: qua nec mihi carior ulla unquam res in uita fuit, nec hominum generi maius à deis munus ullum eſt datum. hæc igitur, quæ mihi tecum communis eſt, ſocietas ſtudiorum, atque artium noſtrarũ, quibus à pueritia dediti, ac deuincti, ſoli propemodum nos philoſophiam illam ueram, et antiquã, quæ quibuſdam otij eſſe, ac deſidiæ uidetur, in forum, atque

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

in remp. atque in ipsam aciem pede deduximus; tecum agit de mea laude: cui negari à Catone fas esse non puto. quamobrem, si tibi persuadeas, uelim: si mihi tua sententia tributus honos ex meis literis fuerit, me existimaturum, cum auctoritate tua, tum beniuolentia erga me, mihi, quod maxime cupierim, contigisse. Vale.

M. CATO M. CICERONI IMP. S. P. D.

QVod & resp. me, & nostra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuam uirtutem, innocentiam, diligentiam cognitam in maximis rebus domi togati, armati foris pari industria administrare gaudeam. itaque quod pro meo iudicio facere potui, ut innocentia, consilioq; tuo defensam prouinciam, seruatum Ariobarzanis cum ipso rege regnum, sociorum reuocatam ad studium imperij nostri uoluntatem, sententia mea, & decreto laudarem, feci. supplicationem decretam; si tu, qua in re nihil fortuito, sed summa tua ratione, & continentia reip. prouisum est, dijs immortalibus gratulari nos, quàm tibi referre acceptũ, mauis; gaudeo. quòd si triumphi prærogatiuam putas supplicationem, & idcirco casum potius, quàm te, laudari uis: neque supplicationem sequitur semper triumphus: & triumpho multo clarius est, senatum iudicare, potius mansuetudine, & innocentia Imperatoris prouinciam, quàm ui militum, aut benignitate deorum, retentam, atque conseruatam esse: quod ego mea sententia censebam. atque hæc ego idcirco ad te contra consuetudinem meam pluribus scripsi, ut, quod ma

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

xime uolo, existimes me laborare, ut tibi persuadeam, me & uoluisse de tua maiestate, quod amplissimum sum arbitratus; et, quod tu maluisti, factum esse gaudere. Vale, & nos dilige, & instituto itinere seueritatem, diligentiamq; socijs, & reip. presta.

M. CICERO M. CATONI S. D.

L *Aetus sum laudari me, inquit Hector, opinor, apud Næuium, abs te pater laudato uiro: ea est enim profecto iucunda laus, quæ ab ijs proficiscitur, qui ipsi in laude uixerunt. ego uero uel gratulatione literarum tuarum, uel testimonijs sententiæ dictæ, nihil est, quod me non assecutum putem. idq; mihi tum amplissimum, tum gratissimum est, te libenter amicitiæ dedisse, quod liquido ueritati dares. &, si non modo unus, uerum etiam multi Catones essent in ciuitate nostra, in qua unum extitisse mirabile est: quē ego currum, aut quam lauream cum tua laudatione conferrem? nam ad meum sensum, & ad illud sincerum, ac subtile iudicium nihil potest esse laudabilius, quàm tua oratio, quæ est ad me perscripta à meis necessarijs. sed causam meæ uoluntatis, non enim dicam cupiditatis, exposui tibi superioribus literis. quæ etiam si parum iusta tibi uisa est, hanc tamen habet rationē, ut non nimis concupiscendus honos, sed tamen, si deferatur à senatu, minime aspernandus esse uideatur. spero autem illum ordinem pro meis ob remp. susceptis laboribus me non indignum honore, usitato præsertim, existimaturum. quod si ita erit: tantum ex te peto, quod amicissime scribis; ut, cum tuo iudicio, quod amplisa-*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ſimum eſſe arbitraris, mihi tribueris; ſi id, quod maluero, acciderit, gaudeas: ſic enim feciſſe te, & ſenſiſſe, & ſcripſiſſe uideo: resq; ipſa declarat, tibi illum honorem noſtrum ſupplicationis fuiſſe iucundum, quòd ſcribendo affuiſti: hæc enim S. C. non ignoro ab amiciſſimis eius, cuius de honore agitur, ſcribi ſolere. Ego, ut ſpero, te propediem uidebo, atque utinam rep. meliore, quàm timeo. Vale.

M. CICERO PRO CONS. S. D. M. MARCELLO CONS.

TE & pietatis in tuos, & animi in remp. & clariſſimi atque optimi conſulatus, C. Marcello conſule, facto fructum cepiſſe, uehementer gaudeo. non dubito, quid præſentes ſentiant. nos quidem longinqui, & à te ipſo miſſi in ultimas gentes, ad cœlum mehercule te tollimus ueriſſimis, ac iuſtiſſimis laudibus. nam cum te à pueritia tua unice dilexerim, tuq; me in omni genere ſemper ampliſſimum eſſe et uolueris, & iudicaris: tamen hoc uel tuo facto, uel populi R. de te iudicio multo acrius, uehementiusq; diligo; maximaq; lætitia afficior, cum ab hominibus prudentiſſimis, uirisq; optimis, omnibus dictis, factis, ſtudijs, inſtitutis uel me tui ſimilem eſſe audio, uel te mei. unū uero ſi addis ad præclariſſimas res conſulatus tui, ut aut mihi ſuccedat quamprimum aliquis, aut ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi & S. C. & lege finiſti: omnia me per te conſecutum putabo. Cura ut ualeas, & me abſentem diligas, atque defendas. Quæ mihi de Parthis nunciata ſunt; quia non puta-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

bam à me etiam nunc scribenda esse publice, propterea ne pro familiaritate quidem nostra uolui ad te scribere; ne, cum ad consulem scripsissem, publice uiderer scripsisse. Vale.

M. CICERO PRO CONS. C. MARCELLO CONS. DES. S. D.

MAxima sum lætitia affectus, cum audiui te consulem factum esse: eumq; honorem tibi deos fortunare uolo, atque à te pro tua, parentisq; tui dignitate administrari. nam cum te semper dilexi, amauiq;, quòd mei amantissimum cognoui in omni uarietate rerum mearum: tum patris tui pluribus beneficijs, uel defensus tristibus temporibus, uel ornatus secundis, necesse est ut & sim totus uester, et esse debeam: cum præsertim matris tuæ grauissimæ, atque optimæ fœminæ maiora erga salutem, dignitatemq; meam studia, quàm erant à muliere postulanda, perspexerim. quapropter à te peto maiorem in modum, ut me absentem diligas, atque defendas. Vale.

M. CICERO PRO CONS. M. MARCELLO COLLEGAE S. D.

MArcellum tuum consulem factum, teq; ea lætitia affectum esse, quam maxime optasti, mirum in modum gaudeo; idq; cum ipsius causa, tum quòd te omnibus secundissimis rebus dignissimum iudico: cuius erga me singularem beneuolentiam uel in labore meo, uel in honore perspexi: totam denique domum uestram uel salutis, uel dignitatis meæ

ſtudioſiſſimam, cupidiſſimamq; cognoui. quare gratum mihi feceris, ſi uxori tuæ Iuniæ, grauiſſimæ, atque optimæ fœminæ, meis uerbis eris gratulatus. A te id, quod conſueſti, peto, me abſentem diligas, atque defendas. Vale.

M. CICERO IMP. C. MARCELLO C. F. CONS. S. P. D.

QVando id accidit, quod mihi maxime fuit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam, (mirificus enim generis, ac non minis ueſtri fuit erga me ſemper animus) quando ergo ita accidit, ut omnium ueſtrum ſtudio tuus conſulatus ſatisfacere poſſet, in quem meæ res geſtæ, lausq;, et honor earum potiſſimum incideret: peto à te id, quod facillimum factu ſit, non aſpernante, ut confido, ſenatu; ut quam honorificentiſſimum S. C. literis meis recitatis faciendum cures. ſi mihi tecum minus eſſet, quàm eſt cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, à quibus intelligis me præcipue diligi. patris tui beneficia in me ſunt ampliſſima: neque enim ſaluti meæ, neque honori amicior quiſquam dici poteſt. frater tuus quanti me faciat, ſemperq; fecerit, eſſe hominem, qui ignoret, arbitror neminem. domus tua denique tota me ſemper omnibus ſummis officijs proſecuta eſt. neque uero tu in me diligendo cuiquam conceſſiſti tuorum. quare à te peto maiorem in modum, ut me per te quam ornatiſſimum ueſtris eſſe, meamq; & in ſupplicatione decernenda, & in cæteris rebus exiſtimationem ſatis tibi eſſe commendatam putes. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. CICERO IMP. C. MARCELLO CONS. S. P. D.

QVantæ tibi curæ meus honos fuerit, et quàm idem extiteris consul in me ornando, & amplificãdo, qui fueras semper cum parentibus tuis, & cum tota domo; etsi res ipsa loquebatur, cognoui tamen ex meorum omnium literis. itaque nihil est tantum, quod ego non tua causa debeã, facturusq; sim cum studiose, tum libenter. nam magni interest, cui debeas: debere autem nemini malui, quàm tibi; cui me cum studia cõmunia, beneficia paterna, tuaq; iam ante coniunxerant; tum accedit, mea quidem sententia, maximum uinculum, quòd ita remp. geris, atque gessisti, qua mihi carius nihil est, ut, quantum tibi omnes boni debeant, quo minus tantundem ego unus debeam, non recusem. quamobrem tibi, uelim, ij sint exitus, quos mereris, & quos fore confidi. Ego, si me nauigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsos Etesias, propediem te, ut spero, uidebo. Vale.

M. CICERO IMP. L. PAVLLO CONS. DES. S. D.

TSi mihi nunquam fuit dubium, quin te populus R. pro tuis summis in remp. meritis, et pro amplissima familiæ dignitate, summo studio, cunctis suffragijs consulem facturus esset: tamen incredibili lætitia sum affectus, cum id mihi nunciatum est: eumq; honorem tibi deos fortunare uolo, à teq; ex tua, maiorumq; tuorum dignitate administrari.

atque utinam præsens illum diem mihi optatissimum uidere potuissem, proq; tuis amplissimis erga me studijs, atque beneficijs tibi operam meam, studiumq; nauare. quam mihi facultatem quando hic nec opinatus, et improuisus prouinciæ casus eripuit: tamen, ut te consulem remp. pro tua dignitate gerentem uidere possim, magnopere à te peto, ut operam des, efficias, ne quid mihi fiat iniuriæ, neue quid temporis ad meum annuũ munus accedat. quod si feceris, magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet. Vale.

M. CICERO IMP. L. PAVLLO CONS. S. D.

MAxime mihi fuit optatum, Romæ esse tecum, multas ob causas; sed præcipue, ut & in petendo, & in gerẽdo consulatu meum tibi debitum studium perspicere posses. ac petitionis quidẽ tuæ ratio mihi semper fuit explorata: sed tamen nauare operam uolebam. in consulatu uero cupio equidem te minus habere negotij: sed moleste fero, me consulem tuũ studium adolescentis perspexisse, te meum, cum id ætatis sim, perspicere non posse. sed ita fato nescio quo contigisse arbitror, ut tibi ad me ornandum semper detur facultas, mihi ad remunerandum nihil suppetat præter uoluntatem. ornasti consulatum, ornasti reditum meu m. incidit meum tempus rerum gerẽdarum in ipsum consulatum tuum. itaque cum & tua summa amplitudo, & dignitas, & meus magnus honos, magnaq; existimatio postulare uideatur, ut à te pluribus uerbis contendam, ac petam, ut quamhonorificentissi-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

mum S. C. de meis rebus gestis faciendum cures: non audeo uehementer à te contendere; ne aut ipse tuæ perpetuæ consuetudinis erga me oblitus esse uidear, aut te oblitum putem. quare ut te uelle arbitror, ita faciam; atque ab eo, quem omnes gētes sciunt de me optime meritum, breuiter petam. si alij consules essent, ad te potissimū Paulle mitterem, ut eos mihi quamamicissimos redderes. nunc cum tua summa potestas, summáq; auctoritas, notáq; omnibus nostra necessitudo sit: uehementer te rogo, ut et quamhonorificentissime cures decernendum de meis rebus gestis, & quamcelerrime. dignas res esse & honore, & gratulatione, cognosces ex ijs literis, quas ad te, & collegam, & senatum publice misi: omniumq; mearum reliquarum rerum, maximéq; existimationis meæ procurationem susceptam, uelim, habeas; in primisq; tibi curæ sit, quod abs te superioribus quoque literis petiui, ne mihi tēpus prorogetur. Cupio te consulem uidere, omniaq;, quæ spero, cum absens, tum etiam præsens te consule assequi. Vale.

M. CICERO C. CASSIO PRO QVAES. S.

M. Fabium quòd mihi amicū tua commendatione das, nullum in eo facio quæstum: multi enim anni sunt, cum ille in ære meo est, & à me diligitur propter summam suā humanitatem, & obseruantiam. sed tamen, quòd te ab eo egregie diligi sensi, multo amicior ei sum factus. itaque quanquam profecerunt literæ tuæ: tamen aliquanto plus cōmendatiōis apud me habuit animus ipsius erga te mihi per-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ſpectus, et cognitus. ſed de Fabio faciemus ſtudioſe, quæ rogas. Tu, multis de cauſis uellem, me conuenire potuiſſes: primum ut te, quem iandiu plurimi facio, tanto interuallo uiderem: deinde ut tibi, quod feci per literas, poſſem præſens gratulari: tum ut quibus de rebus uellemus, tu tuis, ego meis, inter nos communicaremus: poſtremo ut amicitia noſtra, quæ ſummis officijs ab utroque culta eſt, ſed longis interuallis temporum interruptam conſuetudinem habuit, confirmaretur uehementius. id quando non accidit, utemur bono literarũ; & eadem fere abſentes, quæ ſi coram eſſemus, conſequemur. unus ſcilicet ille fructus, qui in te uidẽdo eſt, percipi literis non poteſt. alter gratulationis eſt, is quidem exilior, quàm ſi tibi, te ipſum intuens, gratularer: ſed tamen & feci ante, & facio nunc, tibiq; cum pro rerum magnitudine, quas geſſiſti, tum pro opportunitate temporis gratulor, quòd te de prouincia decedentem ſumma laus, et ſumma gratia prouinciæ proſecuta eſt. tertium eſt, ut id, quod de noſtris rebus coram communicaſſemus inter nos, conficiamus idem literis. ego cæterarum rerum cauſa tibi Romam properandum magnopere cenſeo. nam & ea, quæ reliqui, tranquilla de te erant: & hac tua recenti victoria tanta clarum aduentũ tuum fore intelligo. ſed ſi quæ ſunt onera tuorum, ſi tanta ſunt, ut ea ſuſtinere poſſis, nihil tibi erit lautius, nihil glorioſius: ſin maiora, conſidera, ne in alieniſſimum tempus cadat aduentus tuus. huius rei totum conſilium tuum eſt: tu enim ſcis, quid ſuſtinere poſſis: ſi potes, laudabile, atque populare eſt: ſin plane non potes, abſens hominum ſermones facilius

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ſuſtinebis. De me autem idem tecũ his ago literis, quod ſuperioribus egi, ut omnes tuos neruos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc prouinciam, quam & ſenatus, & populus annuam eſſe uoluit, temporis prorogetur. hoc à te ita contendo, ut in eo fortunas meas poſitas putem. habes Paullum noſtrum noſtri cupidiſſimum: eſt Curio: eſt Furnius. ſic uelim enitare, quaſi in eo ſint mihi omnia. Extremum illud eſt de ijs, quæ propoſueram, confirmatio noſtræ amicitiæ. de qua pluribus uerbis nihil opus eſt. tu puer me appetiſti. ego autem ſemper ornamento te mihi fore duxi. fuiſti etiam præſidio triſtiſſimis meis temporibus. acceſſit poſt tuum diſceſſum familiaritas mihi cum Bruto tuo maxima. itaque in ueſtro ingenio, & induſtria mihi plurimum et ſuauitatis, & dignitatis conſtitutum puto. id tu ut tuo ſtudio confirmes, te uehementer rogo, literaſq; ad me & continuo mittas, &, cum Romam ueneris, quamſæpiſſime. Vale.

M. CICERO S. D. C. CASSIO.

Tſi uterque noſtrum ſpe pacis, & odio ciuilis ſanguinis abeſſe à belli pertinacia uoluit: tamen, quando eius cõſilij princeps ego fuiſſe uideor, plus fortaſſe tibi præſtare ipſe debeo, quàm à te expectare. etſi, ut ſæpe ſoleo mecum recordari, ſermo familiaris meus tecum, & item mecum tuus adduxit utrunque noſtrum ad id conſilium, ut uno prælio putaremus ſi non totam cauſam, at certe noſtrum iudicium definiri conuenire. neque quiſquam hanc noſtram ſentẽtiam uere unquam reprehendit, præter eos,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

qui arbitrantur melius esse deleri omnino remp. quàm imminutam, & debilitatam manere. ego autem ex interitu eius nullam spem scilicet mihi proponebam, ex reliquijs magnam. sed ea sunt consecuta, ut magis mirum sit accidere illa potuisse, quàm nos non uidisse ea futura, nec, cum homines essemus, diuinare potuisse. equidem fateor meam coniecturam hanc fuisse, ut illo quasi quodam fatali prælio facto, & victores cõmuni saluti consulere uellent, et victi suæ. utrunque autem positũ esse arbitrabar in celeritate victoris. quæ si fuisset, eandem clementiam experta esset Africa, quam cognouit Asia, quam etiam Achaia, &, ut opinor, ipso legato, ac deprecatore. amissis autem temporibus, quæ plurimum ualent, præsertim in bellis ciuilibus, interpositus annus alios induxit, ut victoriam sperarent, alios ut ipsum uinci contemnerent. atque horum malorum omnium culpam fortuna sustinet: quis enim aut Alexandrini belli tantam moram huic bello adiunctum iri, aut nescio quem istum Pharnacem Asiæ terrorem illaturum putaret? nos tamen in consilio pari, casu dissimili usi sumus. tu enim eam partem petisti, ut & consilijs interesses, &, quod maxime curam leuat, futura animo prospicere posses: ego, qui festinaui, ut Cæsarẽ in Italia uiderem, (sic enim arbitrabamur) eumq; multis honestissimis uiris conseruatis redeuntem, ad pacem currentem, ut aiunt, incitarem, ab illo longissime & absum, & abfui: uersor autem in gemitu Italiæ, & in urbis miserrimis querelis: quibus aliquid opis fortasse, ego pro mea, tu pro tua, pro sua quisque parte ferre potuisset, si auctor affuisset. quare, uelim, pro tua erga

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

me perpetua beneuolentia ſcribas ad me, quid uideas, quid ſentias, quid expectandum, quid agendum nobis exiſtimes. magni erunt mihi tuæ literæ. atque utinam primis illis, quas Luceria miſeras, paruiſſem: ſine ulla enim moleſtia dignitatem meam retinuiſſem. Vale.

M. CICERO C. CASSIO S. P. D.

Vto te iam ſuppudere, cum hæc te tertia iam epiſtola ante oppreſſit, quàm tu ſchedulam, aut literam. ſed non urgeo: longiores enim expectabo, uel potius exigam. ego, ſi ſemper haberem, cui darem, uel ternas in hora darem: fit enim neſcio quid, ut quaſi coram adeſſe uideare, cum ſcribo aliquid ad te: neque id κατ' εἰδώλων φαντασίαν, ut dicunt tui amici noui, qui putant etiam διανοητικὰς φαντασίας ſpectris Catianis excitari. nam, ne te fugiat, Catius Inſuber Epicureus, qui nuper eſt mortuus, quæ ille Gargettius, etiam ante Democritus, εἴδωλα, hic ſpectra nominat. his autem ſpectris etiam ſi oculi poſſent feriri, quo'd uelis ipſa currunt; animus qui poſſit, ego non uideo: doceas tu me oportebit, cum ſaluus ueneris. in mea'ne poteſtate ſit ſpectrum tuum, ut, ſimul ac mihi collibitum ſit de te cogitare, illud occurrat. neque ſolum de te, qui mihi hæres in medullis: ſed ſi inſulam Britãniam cœpero cogitare, eius εἴδωλον mihi aduolabit ad pectus? ſed hæc poſterius: tento enim te, quo animo accipias: ſi enim ſtomachabere, & moleſte feres, plura dicemus; poſtulabimusq; ex qua hæreſi ui hominibus armatis deiectus ſis, in eam reſtituare. in hoc interdicto non ſolet addi, in hoc

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

anno. quare si iam biennium, aut triennium est, cum uirtuti nuncium remisisti, delinitus illecebris uoluptatis; in integro res nobis erit. quãquam quicum loquor? cum uno fortissimo uiro: qui postea quàm forum attigisti, nihil feciſti, nisi plenissimum amplissimæ dignitatis. in ista ipsa αἱρέσι metuo, ne plus neruorum sit, quàm ego putarim, si modo eam tu probas. quid tibi in mentem uenit? inquies. quia nihil habebã aliud, quod scriberem: de rep. enim nihil scribere possum: neque enim, quod sentio, libet scribere. Vale.

M. CICERO S. D. C. CASSIO.

Pæposteros habes tabellarios: etsi me quidem non offendunt: sed tamen cum à me discedunt, flagitant literas: cum ad me ueniunt, nullas afferunt. atque id ipsum facerent commodius, si mihi aliquid spatij ad scribendum darent: sed petasati ueniunt: comites ad portã expectare dicunt. ergo ignosces: alteras habebis has breues: sed expecta πάντα τε εἰ πάντων. etsi quid ego me tibi purgo, cum tui ad me inanes ueniant, ad te cum epistolis reuertantur? Nos hic, (tamen ad te scribam aliquid) D. Syllam patrem mortuum, habebamus. alij à latronibus, alij crudita te dicebant. populus non curabat: combustũ enim esse constabat. hoc tu pro sapientia tua feres æquo animo. quãquam πρόσωπον πόλεως amisimus. Cæsarem putabant moleste laturum, uerentem ne hasta refrixisset. Mindius Marcellus, et Attius pigmentarius ualde gaudebant se aduersarium perdidisse. De Hispania noui nihil, sed expectatio ualde magna: rumores tristiores,

sed

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ſed ἀδιαφόρως. Panſa noſter paludatus ad III. cal. Ian. profectus eſt, ut quiuis intelligere poſſet, id quod tu nuper dubitare cœpiſti, τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετὸν eſſe. nam, quod multos miſerijs leuauit, & quòd ſe in his malis hominem præbuit, mirabilis eum uirorum bonorum beneuolentia proſecuta eſt. Tu quòd adhuc Brundusij moratus es, ualde probo, & gaudeo: et mehercule puto te ſapienter facturum, ſi ἀκινδύνως fueris. nobis quidem, qui te amamus, erit gratum. & , amabo te, cum dabis poſthac aliquid domum literarū, mei memineris. ego nunquam quenquam ad te, cum ſciam, ſine meis literis ire patiar. Vale.

M. CICERO C. CASSIO S. P. D.

LOngior epiſtola fuiſſet, niſi eo ipſo tempore petita eſſet à me, cum iam iretur ad te: longior etiam, ſi φλύαρον aliquem habuiſſet: nam σπουδάζειν ſine periculo uix poſſumus. ridere igitur, inquies, poſſumus. non mehercule facillime: ueruntamen aliam aberrationem à moleſtijs nullam habemus. ubi igitur, inquies, philoſophia? tua quidem in culina, mea moleſta eſt: pudet enim ſeruire. itaque facio, me alias res agere, ne conuicium Platonis audiam. De Hiſpania nihil adhuc certi; nihil omnino noui. Te abeſſe, mea cauſa moleſte fero; tua, gaudeo. ſed flagitat tabellarius. ualebis igitur, meq; , ut à puero feciſti, amabis.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

C. CASSIVS S. D. M. CICERONI.

NOn mehercule in hac mea peregrinatione quidquam libentius facio, quàm ſcribo ad te: uideor enim cum præſente loqui, et iocari. nec tamen hoc uſu uenit propter ſpectra Catiana: pro quo tibi proxima epiſtola tot ruſticos Stoicos regerã, ut Catium Athenis natum eſſe dicas. Panſam noſtrum ſecunda uoluntate hominum paludatũ ex urbe exiiſſe, cum ipſius cauſa gaudeo, tum mehercule etiam omnium noſtrum: ſpero enim homines intellecturos, quanto ſit omnibus odio crudelitas, et quanto amori probitas, et clementia; atque ea, quæ maxime mali petant, et concupiſcant, ad bonos peruenire. difficile eſt enim hominibus perſuadere, τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετὸν eſſe: ἡδονλὼ uero, et ἀναλγησίαν uirtute, iuſtitia, et καλῷ parari, et uerum, et probabile eſt: ipſe enim Epicureus, à quo omnes Catij, et Amafanij, mali uerborũ interpretes, proficiſcuntur, dicit, οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν. itaque et Panſa, qui ἡδονλὼ ſequitur, uirtutẽ retinet: et ij, qui à nobis φιλήδονοι uocantur, ſunt φιλόκαλοι, καὶ φιλοδίκαιοι, omneſq; uirtutes et colunt, et retinent. itaque Sylla, cuius iudicium probare debemus, cũ diſſentire philoſophos uideret, non quæſiuit, quid bonũ eſſet, et omnia bona coemit. cuius ego mortẽ forti mehercule animo tuli. nec tamen Cæſar diutius nos eũ deſiderare patietur: nã habet damnatos, quos pro illo nobis reſtituat: nec ipſe ſectorẽ deſiderabit, cum filium uiderit. Nunc ut ad remp. redeam, quid in Hiſpanijs geratur, reſcribe. peream, niſi ſolicitus ſum, ac malo ueterẽ, et clemen

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

tem dominum habere, quàm ncuũ, et crudelem experiri. ſcis, Cneus quàm ſit fatuus: ſcis, quo modo crudelitatem uirtutem putet: ſcis, quàm ſe ſemper à nobis deriſum putet. uereor, ne nos ruſtice gladio uelit ἀντιμυκτηρίσαι. quid fiat, ſi me diligis, reſcribe. hui, quàm uelim ſcire, utrũ iſta ſolicito animo, an ſoluto, legas: ſciã enim eodẽ tẽpore, quid me facere oporteat. Ne longior ſim, uale, et me, ut facis, ama. Si Cæſar uicit, celeriter me expecta.

M. CICERO C. TREBONIO S. D.

ORatorem meum (ſic enim inſcripſi) Sabino tuo commendaui. natio me hominis impulit, ut ei recte putarem. niſi forte candidatorum licentia hic quoque uſus, hoc ſubito cognomen arripuit. etſi modeſtus eius uultus, ſermoq́; conſtans habere quiddam à Curibus uidebatur. ſed de Sabino ſatis. Tu mi Treboni, quando ad amorẽ meum aliquantulum diſcedens addidiſti; quo tolerabilius feramus igniculum deſiderij tui, crebris nos literis appellato, atque ita, ſi idẽ fiet à nobis. quanquã duæ cauſæ ſunt, cur tu frequentior in iſto officio eſſe debeas, quàm nos: primũ, quòd olim ſolebant, qui Romæ erant, ad prouinciales amicos de rep. ſcribere: nũc tu nobis ſcribas oportet: res enim publica iſthic eſt: deinde, quòd nos alijs officijs tibi abſenti ſatisfacere poſſumus; tu nobis, niſi literis, nõ uideo, qua re alia ſatisfacere poſſis. ſed cætera ſcribes ad nos poſtea: nunc hæc primo cupio cognoſcere; iter tuũ cuiuſmodi ſit; ubi Brutum noſtrum uideris; quandiu ſimul fueris: deinde, cũ proceſſeris longius; de bellicis rebus, de toto negotio: ut exiſtimare poſſimus, quo ſtatu ſimus. ego tãtũ me ſcire puta=

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

bo, quantum ex tuis literis habebo cognitum. Cura ut ualeas, meq; ames amore illo tuo singulari.

M. CICERO TREBONIO S. P. D.

E T epistolam tuam legi libenter, & librum libentissime. sed tamen in ea uoluptate hunc accepi dolorem, quòd, cũ incendisses cupiditatem meam consuetudinis augendæ nostræ, (nã ad amorem quidem nihil poterat accedere) tum discedis à nobis, meq; tanto desiderio afficis, ut unam mihi consolationẽ relinquas, fore, ut utriusque nostrum absentis desideriũ crebris, & longis epistolis leniatur. quod ego non modo de me tibi spondere possum, sed de te etiam mihi: nullã enim apud me reliquisti dubitationem, quantum me amares. nam, ut illa omittam, quæ ciuitate teste fecisti, cum mecum inimicitias communicasti, cum me concionibus tuis defendisti, cum quæstor in mea, atque in publica causa consulum partes suscepisti, cum tribuno pl. quæstor non paruisti, cui tuus præsertim collega pareret: ut hæc recentia, quæ meminero semper, obliuiscar; quæ tua solicitudo de me in armis, quæ lætitia in reditu, quæ cura, qui dolor, cum ad te curæ, et dolores mei perferrentur; Brunduſium denique te ad me uenturum fuisse, nisi subito in Hispaniam missus esses: ut hæc igitur omittam, quæ mihi tanti æstimanda sunt, quanti uitam æstimo, et salutem meam: liber iste, quem mihi misisti, quantam habet declarationẽ amoris tui? primum, quòd tibi facetum uidetur, quidquid ego dixi, quod alijs fortasse non item: deinde, quòd illa siue facta sunt, siue sic, fiunt narrante te uenustissima: quin etiam ante,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

quàm ad me ueniatur, risus omnis pene consumitur. quòd si in his scribendis nihil aliud, nisi, quod necesse fuit, de uno me tandiu cogitauisses: ferreus essem, si te non amarem. cum uero ea, quæ scriptura persecutus es, sine summo amore cogitare non potueris: nō possum existimare, plus quenquam à se ipso, quàm me à te, amari. cui quidem ego amori, utinā cæteris rebus possem, amore certe respondebo: quo tamen ipso tibi confido futurum satis. Nunc ad epistolam uenio: cui copiose, et suauiter scriptæ, nihil est, quod multa respondeam. primū enim ego illas Caluo literas misi, non plus, quàm has, quas nunc legis, existimans exituras: aliter enim scribimus, quod eos solos, quibus mittimus; aliter, quod multos lecturos putamus. deinde ingenium eius melioribus extulilaudibus, quàm tu id uere potuisse fieri putas. primū, quòd ita iudicabam. acute mouebatur: genus quoddā sequebatur, in quo iudicio lapsus, quo ualebat, tamen assequebatur, quod probaret. multæ erant, et reconditæ literæ: uis non erat. ad eam igitur adhortabar. in excitando autem, & in acuendo, plurimum ualet, si laudes eum, quem cohortere. habes de Caluo iudicium, & consilium meum: consilium, quòd hortandi causa laudaui: iudicium, quòd de ingenio eius ualde existimaui bene. Reliquum est, tuam profectionem amore prosequar, reditum spe expectem, absentem memoria colam, omne desiderium literis mittendis, accipiendisq; leniam. tu, uelim, tua in me studia, et officia multum tecum recordere. quæ cum tibi liceat, mihi nefas sit obliuisci, non modo uirum bonum me existimabis, uerum etiam te à me amari plurimum iudicabis. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM, AD TIRONEM, LIBER XVI.

TVLLIVS, ET CICERO F. ET Q. Q. TIRONI HVMANISS. ET OPT. S. D.

VIde, quanta in te sit suauitas: duas horas Thyrei fuimus: Xenomenes hospes tam te diligit, quàm si uixerit tecum. is omnia pollicitus est, quæ tibi essent opus: facturum puto. mihi placebat, si firmior esses, ut te Leucadem deportares, ut ibi te plane confirmares. uidebis, quid Curio, quid Lysoni, quid medico placeat. uolebam ad te Marionem remittere, quem, cum meliuscule tibi esset, ad me mitteres: sed cogitaui, unas literas Marionem afferre posse, me autem crebras expectare. poteris igitur, & facies, si me diligis, ut quotidie sit Acastus in portu. multi erunt, quibus recte literas dare possis, qui ad me libenter perferant. equidem Patras euntem neminem prætermittam. ego omnem spem tui diligenter curandi in Curio habeo. nihil potest illo fieri humanius, nihil nostri amantius. ei te totum trade. malo te paulo post ualentem, quàm statim imbecillum uidere. cura igitur nihil aliud, nisi ut tu ualeas: cætera ego curabo. Etiam atque etiam uale. Leucade proficiscens, VII id. Nou.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

TVLLIVS, ET CICERO S. D. TIRONI SVO.

Septimum iam diem Corcyræ tenebamur; Quintus autem pater, & filius Buthroti. soliciti eramus de tua ualetudine mirum in modum: nec mirabamur nihil à te literarum: ijs enim uentis istinc nauigatur, qui si essent, nos Corcyræ non sederemus. cura igitur te, & confirma; & cum commode, & per ualetudinem, & per anni tempus nauigare poteris, ad nos amantissimos tui ueni. nemo nos amat, qui te non diligat. carus omnibus, expectatusq; uenies. Cura ut ualeas etiam atque etiam Tiro noster. uale. XV. cal. Nou. Corcyræ.

TVLLIVS, ET CICERO MEVS, ET FRATER, ET FR. F. TIRONI SVO S. D.

Paulo facilius putaui posse me ferre desiderium tui, sed plane non fero. & quanquam magni ad honorem nostrum interest, quamprimum ad urbem me uenire: tamen peccasse mihi uideor, qui à te discesserim. sed quia tua uoluntas ea uidebatur esse, ut prorsus, nisi confirmato corpore, nolles nauigare: approbaui tuum consilium: neque nunc muto, si tu in eadem es sententia. sin postea, quàm cibum cepisti, uideris tibi me posse consequi: tuum consilium est. Marionem ad te eo misi, ut aut tecum ad me quamprimum ueniret: aut, si tu moraretere, statim ad me rediret, tu autem hoc tibi persuade, si cõmodo ualetudinis tuæ fieri possit, nihil me malle, quàm te esse mecum:

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ſin intelliges opus eſſe te Patris, cõualeſcendi cauſa, paulum commorari, nihil me malle, quàm te ualere. ſi ſtatim nauigas, nos Leucade conſequere. ſin te confirmare uis; & comites, & tempeſtates, et nauem idoneam ut habeas, diligenter uidebis. unum illud mi Tiro uideto, ſi me amas, ne te Marionis aduentus, & hæ literæ moueant. quod ualetudini tuæ maxime conducet, ſi feceris, maxime obtemperaris uoluntati meæ. hæc pro tuo ingenio conſidera. nos ita te deſideramus, ut amemus. amor, ut ualentem uideamus, hortatur: deſiderium, ut quamprimum. illud igitur potius. cura ergo potiſſimum, ut ualeas. de tuis innumerabilibus in me officijs erit hocgratiſſimum. III. non. Nou. Vale.

TVLLIVS TIRONI SVO S.

NOn queo ad te, nec lubet ſcribere, quo animo ſim affectus: tantum ſcribo, & tibi, et mihi maximæ uoluptati fore, ſi te firmum quãprimum uidero. tertio die abs te ad Alyziam acceſſeramus. ãs locus eſt citra Leucadem ſtadia CXX. Leucade aut te ipſum, aut tuas literas à Marione putabam me acceꝑturum. quantum me diligis, tantum fac ut ualeas, uel quantum te à me ſcis dĩligi. non. Nou. Alyzia.

TVLLIVS, ET CICERO TIRONI SVO S. D. ET Q. PATER, ET FILIVS.

NOs apud Alyziam, ex quo loco tibi literas ante dederamus, unum diem commorati ſumus, quòd Quintus nos conſecutus non erat. is dies fuit non. Nou. inde ante lucem proficiſcentes, an te

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

diem VIII id. Nou. has literas dedimus. Tu si nos omnes amas, & præcipue me, magistrum tuum, confirma te. ego ualde suspenso animo expecto, primum te scilicet, deinde Marionem cum tuis literis. omnes cupimus, ego in primis, quamprimum te uidere, sed mi Tiro ualentem. quare nihil properaris. satis quotidie uidero, si ualebis. utilitatibus tuis possum carere: te ualere, tua causa primum uolo, tum mea mi Tiro. Vale.

TVLLIVS TIRONI SVO S. P. D. ET CICERO, ET Q. PATER, ET Q. F.

VArie sum affectus tuis literis, ualde priore pagina perturbatus, paulum altera recreatus. quare nunc quidem nō dubito, quin, quoad plane ualeas, te neque nauigationi, neque uiæ cōmittas. satis te mature uidero, si plane confirmatum uidero. De medico & tu bene existimari scribis, & ego sic audio. sed plane curationes eius nō probo: ius enim dandum tibi non fuit, cum κακοσόμαχος esses. sed tamen & ad illum scripsi accurate, & ad Lysonem. ad Curium uero, suauissimum hominem, & summi officij, summæq; humanitatis, multa scripsi; in his, etiam ut, si tibi uideretur, te ad se transferret. Lyso enim noster, uereor, ne negligentior sit: primum, quia omnes Græci: deinde, quòd cum à me literas accepisset, mihi nullas remisit. sed eum tu laudas. tu igitur, quid faciendum sit, iudicabis. illud mi Tiro te rogo, sumptui ne parcas ulla in re, qua ad ualetudinem opus sit. scripsi ad Cu-

tiũ, quod dixisses, daret. medico ipsi puto aliquid dandum esse, quo sit studiosior. innumerabilia tua sunt in me officia; domestica, forensia; urbana, prouincialia; in re priuata, in publica; in studijs, in literis nostris. omnia uiceris, si, ut spero, te ualidum uidero. ego puto, te bellissime, si rectè eri, cum quæstore Mescinio decursurum. non inhumanus est, teq;, ut mihi uisus est, diligit. & cum ualetudini tuæ diligentissime consulueris, tum mi Tiro consulito nauigationi. nulla in re iam festinare uolo. nihil laboro, nisi ut saluus sis. sic habeto mi Tiro, neminem esse, qui me amet, quin idem te amet. & cum tua, & mea maxime interest te ualere: tum multis est curæ. adhuc, dum mihi nullo loco deesse uis, nunquam te confirmare potuisti. nunc te nihil impedit. omnia depone: corpori serui. quantam diligentiam in ualetudinem tuam contuleris, tanti me fieri à te iudicabo. Vale mi Tiro, uale, uale, & salue. Lepta tibi salutem dicit, & omnes. Vale. V II id. Nou. Leucade.

TVLLIVS, ET CICERO, ET Q. Q. TIRONI S. P. D.

TErtiam ad te hãc epistolam scripsi eadem die, magis instituti mei tenendi causa, quia nactus eram, cui darem, quàm quòd haberem, quid scriberem. igitur illa: quantum me diligis, tantum adhibe in te diligẽtiæ. ad tua innumerabilia in me officia adde hoc, quod mihi erit gratissimum omnium. cum ualetudinis rationem, ut spero, habueris, habeto etiam nauigationis. in Italiam eũtibus omnibus ad me

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

literas dabis, ut ego euntem Patras neminem prætermitto. cura, cura te Tiro. quando non contigit, ut simul nauigares; nihil est, quod festines, nec quidquam cures, nisi ut ualeas. Etiam atque etiam uale. VII id. Nou. Actio, uesperi.

Q. CICERO TIRONI S. D.

Agnæ nobis est solicitudini ualetudo tua. nã
M tametsi qui ueniunt, ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ nunciant: tamen in magna consolatione ingens inest solicitudo, si diutius à nobis abfuturus es, is, cuius usum & suauitatẽ desiderando sentimus. attamen quanquam uidere te tota cogitatione cupio: tamen te penitus rogo, ne te tam longæ nauigationi, & uiæ per hiemem, nisi bene firmum, cõmittas, neue nauiges, nisi explorate. uix in ipsis tectis, & oppidis frigus infirma ualetudine uitatur; nedum in mari, & uia sit facile abesse ab iniuria tẽporis. ψύχος δὲ λεπτῷ χρωὶ πολεμιώτατον, inquit Euripides. cui tu quantum credas, nescio: ego certe singulos eius uersus singula testimonia puto. effice, si me diligis, ut ualeas, et ut ad nos firmus, ac ualens quam primum uenias. Ama nos, & uale. Q. F. tibi salutem plurimam dicit.

TVLLIVS, ET CICERO TIRONI SVO S. P. D.

Os à te, ut scis, discessimus ad IIII non.
N Nou. Leucadẽ uenimus ad VIII id Nou. ad VII Actiũ. ibi propter tẽpestatẽ ad VI id. morati sumus, inde ad V id. Corcyrã bellissime nauiga-

uimus. Corcyræ fuimus usque ad XVI cal. Dec. tempestatibus retẽti. ad XV cal. à portu Corcyræorum ad Cassiopen stadia CXX processimus. ibi retenti uentis fumus usque ad IX cal. interea qui cupide profecti sunt, multi naufragia fecerunt. nos eo die cœnati soluimus. inde austro lenissimo, cœlo sereno, nocte illa, & die postero in Italiam ad Hydruntẽ ludibundi peruenimus: eodemq; uento postridie (id erat ad VII cal. Dec.) hora quarta Brundusium uenimus: eodemq; tempore simul nobiscum in oppidum introijt Terentia, quæ te facit plurimi. Ad V cal. Dec. seruus Cn. Plancij Brundusii tandem aliquando mihi à te expectatissimas literas reddidit, datas id. Nou. quæ me molestia ualde leuarunt: utinam omnino liberassent. sed tamen Asclapo medicus plane confirmat, propediem te ualentem fore. nunc quidem ego te hortor, ut omnem diligentiam adhibeas ad conualescendum. tuam prudentiam, temperantiam, amorem erga me noui. scio te omnia facturum, ut nobiscum quamprimum sis. sed tamen ita uelim, ut ne quid properes. symphoniam Lysonis, uelim, uitasses, ne in quartam hebdomadã incideres. sed quando pudori tuo maluisti obsequi, quàm ualetudini, reliqua cura. Curio misi, ut medico honos haberetur, & tibi daret, quod opus esset: me, cui iussisset, curaturum. equum, & mulum Brundusij tibi reliqui. Romæ, uereor, ne ex cal. Ian. magni tumultus sint. nos agemus omnia modice. Reliquum est, ut te hoc rogem, & à te petam, ne temere nauiges. solent nautæ festinare quæstus sui causa. cautus sis mi Tiro. mare magnum, et difficile tibi restat. si poteris, cum Mescinio:

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

(caute is solet nauigare) si minus, cum honesto aliquo homine, cuius auctoritate nauicularius moueatur. in hoc omnem diligentiam si adhibueris, teq; nobis incolumem præstiterir, omnia à te habebo. Etiá atque etiam noster Tiro uale. Medico, Curio, Lysoni de te scripsi diligentissime. Vale, salue.

TVLLIVS, ET CICERO, TERENTIA, TVLLIA, Q. Q. TIRONI S. P. D.

Tsi opportunitatem operæ tuæ omnibus locis desidero: tamen nō tam mea, quàm tua causa doleo te non ualere. sed quando in quartanam conuersa uis est morbi: sic enim scribit Curius: spero te diligentia adhibita etiam firmiorem fore. modo fac id, quod humanitatis tuæ est, ne quid aliud cures hoc tempore, nisi ut quamcommodissime conualescas. non ignoro, quantum ex desiderio labores: sed erunt omnia facilia, si ualebis. festinare te nolo, ne nauseæ molestiam suscipias æger, & periculose hieme nauiges. Ego ad urbē accessi prid. non. Ian. obuiam mihi sic est proditum, ut nihil fieri potuerit honoratius. sed incidi in ipsam flammam ciuilis discordiæ, uel potius belli: cui cum cuperem mederi, &, ut arbitror, possem, cupiditates certorum hominum (nā ex utraque parte sunt, qui pugnare cupiant) impedimento mihi fuerunt. omnino et ipse Cæsar, amicus noster, minaces ad senatum, & acerbas literas miserat: & erat adhuc impudens, qui exercitum, & prouinciam inuito senatu teneret:

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

& Curio meus illum incitabat. Antonius quidem noſter, et Q. Caſſius nulla ui expulſi, ad Cæſarem cum Curione profecti erant. poſteaquam ſenatus conſulibus, prætoribus, tribunis pl. et nobis, qui pro conſulibus ſumus, negotium dederat, ut curaremus, ne quid reſp. detrimenti caperet: nunquam maiore in periculo ciuitas fuit: nunquam improbi ciues habuerunt paratiorẽ ducem. omnino ex hac quoque parte diligentiſſime comparatur. id fit auctoritate, et ſtudio Pompeij noſtri, qui Cæſarem ſero cœpit timere: nobis inter has turbas ſenatus tamen frequens flagitauit triumphum: ſed Lentulus conſul, quo maius ſuum beneficium faceret, ſimul atque expediſſet, quæ eſſent neceſſaria de rep. dixit ſe relaturum. nos agimus nihil cupide: eoq; eſt noſtra pluris auctoritas. Italiæ regiones deſcriptæ ſunt, quã quiſque partem tueretur. nos Capuam ſumpſimus. hæc te ſcire uolui. Tu etiam atque etiam cura, ut ualeas; litera sq; ad me mittas, quotieſcunque habebis, cui des. Etiã atque etiam uale. Datum pridie id. Ian.

TVLLIVS S. D. TIRONI SVO.

Q. Vo in diſcrimine uerſetur ſalus mea, et bonorum omniũ, atque uniuerſæ reip. ex eo ſcire potes, quòd domos noſtras, et patriam ipſam uel diripiendã, uel inflammandam reliquimus. in eum locum res deducta eſt, ut, niſi quis deus, uel caſus aliquis ſubueneri t, ſalui eſſe nequeamus. equidẽ ut ueni ad urbẽ, non deſiti omnia et ſentire, et dicere, et facere, quæ ad concordiam pertinerent: ſed mirus inuaſe-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

rat furor non ſolum improbos, ſed etiam hos, qui boni habentur, ut pugnare cuperent, me clamante, nihil eſſe bello ciuili miſerius. itaque cum Cæſar amentia quadam raperetur, & oblitus nominis, atque honorum ſuorum, Ariminum, Piſaurum, Anconā, Arretium occupaſſet: urbem reliquimus; quàm ſapienter, aut quàm fortiter, nihil attinet diſputare. quo quidem in caſu ſimus, uides. feruntur omnino conditiones ab illo, ut Pompeius eat in Hiſpaniam: delectus, qui ſunt habiti, et præſidia noſtra dimittantur: ſe ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Cōſidio Noniano (his enim obtigerunt) traditurum: ad conſulatus petitionem ſe uenturum: neque iam uelle abſentis rationem haberi ſui: ſe præſentem trinundinum petilurum. accepimus conditiones, ſed ita, ut remoueat præſidia ex ijs locis, quæ occupauit, ut ſine metu de his ipſis conditionibus Romæ ſenatus haberi poſſit. id ille ſi fecerit, ſpes eſt pacis, non honeſtæ, leges enim imponūtur: ſed quiduis eſt melius, quàm ſic eſſe, ut ſumus. ſin autem ille ſuis cōditionibus ſtare noluerit, bellum paratū eſt, eiuſmodi tamen, quod ille ſuſtinere non poſſit, præſertim cum à ſuis conditionibus ipſe fugerit. tantūmodo ut eum intercludamus, ne ad urbē poſſit accedere: quod ſperabamus fieri poſſe: delectus enim magnos habebamus: putabamusq; illum metuere, ſi ad urbem ire cœpiſſet, ne Gallias amitteret, quas ambas habet inimiciſſimas præter tranſpadanos. ex Hiſpaniaq; ſex legiones, & magna auxilia, Afranio, & Petreio ducibus, habet à tergo. uidetur, ſi inſaniet, poſſe opprimi. modo ut urbe ſalua. maximā autem plagam accepit, quòd is, qui ſummam auctō-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ritatem in illius exercitu habebat, T. Labienus, socius sceleris esse noluit, reliquit illum, & nobiscum est: multiq; idem facturi esse dicuntur. Ego adhuc oræ maritimæ præsum à Formijs. nullum maius negotium suscipere uolui, quo plus apud illum meæ literæ, cohortationesq; ad pacem ualerent. sin autem erit bellum, uideo me castris, & certis legionibus præfuturum. habeo etiam illam molestiam, quòd Dolabella noster apud Cæsarem est. hæc tibi nota esse uolui: quæ caue te perturbent, & impediant ualetudinem tuam. Ego A. Varroni, quem tum amantissimum mei cognoui, tum etiam ualde tui studiosum, diligentissime te commendaui, ut & ualetudinis tuæ rationem haberet, & nauigationis, & totum te susciperet, ac tueretur: quem omnia facturum confido: recepit enim, & mecum locutus est suauissime. Tu quando eo tempore mecum esse non potuisti, quo ego maxime operam, & fidelitatem desideraui tuam; caue festines, aut committas, ut aut æger, aut hieme nauiges. nunquam ego sero te uenisse putabo, si saluus ueneris. adhuc neminem uideram, qui te postea uidisset, quàm M. Volusius, à quo tuas literas accepi: quod non mirabar: neque enim meas puto ad te literas tanta hieme perferri. sed da operam, ut ualeas: &, si ualebis, cum recte nauigari poterit, tum nauiges. Cicero meus in Formiano erat; Terentia, & Tullia Romæ. Cura ut ualeas. IIII cal. Febr. Capua.

TVLLIVS

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

TVLLIVS TIRONI S.

EGo uero cupio te ad me uenire: sed uiam timeo. grauissime ægrotasti: inedia, & purgationibus, & ui ipsius morbi consumptus es. graues solent offensiones esse ex grauibus morbis, si qua culpa commissa est. iam ad id biduum, quod fueris in uia, dum in Cumanum uenis, accedent cōtinuo ad reditum dies quinque. ego in Formiano ad III. cal. esse uolo. ibi te ut firmum offendam, mi Tiro effice. literulæ meæ, siue nostræ tui desiderio ablonguerunt. hac tamen epistola, quam Acastus attulit, oculos paulum sustulerunt. Pompeius erat apud me, cum hæc scribebam. hilare, et libenter eicnpienti audire nostra, dixi, sine te omnia mea muta esse. tu musis nostris para ut operas reddas. nostra ad diem dictam sient: docui enim te, fides ἐτυμον quod haberet. fac plane ut ualeas. nos ad summum. Vale. XIIII. cal.

TVLLIVS TIRONI S.

EGypta ad me uenit prid. id. Apr. is etsi mihi
A nunciauit te plane febri carere, et belle habere: tamen, quòd negauit te potuisse ad me scribere, curā mihi attulit, et eo magis, quòd Hermia, quē eodem die uenire oportuerat, non uenerat. incredibili sum solicitudine de tua ualetudine: quasi me liberaris, ego te omni cura liberabo. plura scriberem, si iam putarem libenter te legere posse. ingenium tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi, tibiq; conseruandum. cura te etiam atque etiam diligenter. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Scripta iam epistola, Hermia uenit. accepi tuam epistolam uacillantibus literulis: nec mirum, tam graui morbo. Ego ad te Aegyptam misi, quòd nec inhumanus est, & te uisus est mihi diligere; ut is tecum esset; & cum eo coquum, quo uterere. Iterum uale.

TVLLIVS TIRONI S.

ANdricus postridie ad me uenit, quàm expectaram. itaque habui noctem plenam timoribus, ac miserijs. tuis literis nihilo sum factus certior, quo modo te haberes: sed tamen sum recreatus. ego omni delectatione, literisq; careo: quas ante, quàm te uidero, attingere non possum. Medico mercedis, quantum poscet, promitti iubeto: id scripsi ad Mummium. Audio te animo angi, et medicum dicere, ex eo te laborare. si me diligis, excita ex somno tuas literas, humanitatemq;, propter quam mihi escarissimus. nũc opus est te animo ualere, ut corpore possis. id cum tua, tum mea causa facias, à te peto. Acastum retine, quo commodius tibi ministretur. conserua te mihi. dies promissorum adest: quem etiam repræsentabo, si aduenerís. Etiam atque etiam uale. III id. hora III.

TVLLIVS TIRONI S.

OMnia à te data mihi putabo, si te ualentem uidero. Summa cura expectabam aduentum Menandri, quem ad te miseram. Cura, si me diligis, ut ualeas: & cum te bene confirmaris, ad nos uenias. Vale. IIII. id. Apr.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

QVINTVS MARCO FRATRI S.

E Tirone mi Marce, ita te, meumq; Ciceronem, & meam Tulliolam, tuumq; filium uidam, ut mihi gratissimum feciſti, cũ eum indignum illa fortuna, nobis amicum, quàm ſeruum, eſſe maluiſti. mihi crede, tuis, & illius literis perlectis, exilui gaudio, & tibi & ago gratias, & gratulor. ſi enim mihi Statij fidelitas eſt tantæ uoluptati: quanti eſſe in iſto hæc eadem bona debent, additis literis, ſermonibus, humanitate, quæ ſunt his ipſis commodis potiora? amo te omnibus equidem maximis de cauſis, uerum etiam propter hanc, uel quòd mihi ſic, ut debuiſti, nunciaſti. te totum in literis uidi. Sabini pueris & promiſi omnia, & faciam. Vale.

TVLLIVS TIRONI S.

Ideo, quid agas. tuas quoque epiſtolas, uis, re
V ferã in uolumina. ſed heus tu, qui καινὸν eſſe meorum ſcriptorũ ſoles, unde illud tam ἄνυσον, ualetudini fideliter inſeruiendo? unde in iſtum locum fideliter uenit? cui uerbo domicilium eſt proprium in officio, migrationes in alienum multæ. nam & doctrina, & domus, & ars, & ager etiam fidelis dici poteſt: ut ſit, quo modo Theophraſto placet, uerecunda tralatio. ſed hæc coram. Demetrius uenit ad me: quo quidem comitatu * ἀφωμίλησα, ſatis ſcis. tu eum uidelicet non potuiſti uidere: cras aderit: uidebis igitur: nam ego hinc perendie mane cogito. Valetudo tua me ualde ſolicitat: ſed inſerui, & fac omnia. tum te

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

mecum esse, tum mihi cumulatissime satisfacere puta-
to. Cupio quòd operam dedisti, mihi gratum est: ual-
de enim eius causa uolo. Vale.

TVLLIVS TIRONI S.

Q. Vid igitur? non sic oportet? equidem censeo sic, addendum etiam, suo. sed, si placet, inuidia uitetur: quam quidem ego sæpe con-
tempsi. Tibi διαφόρησιν gaudeo profuisse. si uero etiam Tusculanum; dij boni, quanto mihi illud erit a-
mabilius. sed, si me amas, quod quidem aut facis, aut perbelle simulas, quod tamen in modum procedit, sed, ut est, indulge ualetudini tuæ: cui quidem tu adhuc, dum mihi deseruis, seruisti non satis. ea quid postulet, non ignoras, πέψιν, ἀλυπίαν, περίπατον σύμμε-
τρον, τόνον, εὐλυσίαν κοιλίας. fac bellus reuertare: non modo te, sed etiã Tusculanum nostrum plus amem. Parhedrum excita, ut hortum ipse conducat: sic olito-
rem ipsum commouebis. heluo nequissimus HS CIↃ da dabat nullo aprico horto, nullo emissario, nulla mace ria, nulla casa. iste nos tanta impensa derideat? calfa ce hominem, ut ego M. Othonem: itaque abutor coro-
nis. De Crabra quid agatur, etsi nunc quidem etiam nimium est aquæ, tamen uelim scire. Horologium mit tam, & libros, si erit sudum. sed tu nullos ne tecum libellos? an pangis aliquid Sophocleum? fac opus appa reat. A. Ligurius, Cæsaris familiaris, mortuus est, bo-
nus homo, & nobis amicus. Te quando expectemus, fac ut sciam. Cura te diligenter. Vale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

TVLLIVS TIRONI S.

EXpecto tuas literas de multis rebus. te ipsum multo magis. Demetrium redde nostrum, & aliud si quid potes boni. De Aufidiano nomine nihil te hortor: scio tibi curæ esse: sed confice. & si ob eam rem moraris, accipio causam: si te id non tenet, aduola. Literas tuas ualde expecto. Vale.

TVLLIVS TIRONI S.

SOlicitat, ita uiuam, me tua mi Tiro ualetudo: sed confido, si diligentiam, quam instituisti, adhibueris, cito te firmum fore. libros compone, indicem, cum Metrodoro lubebit, quando eius arbitratu uiuendum est. Cum olitore, ut uidetur. Tu potes calendis spectare gladiatores, postridie redire: & ita censeo. uerum, ut uidebitur. Cura te, si me amas, diligenter. Vale.

CICERO F. TIRONI SVO DVLCISS. S. D.

CVm uehementer tabellarios expectarem quotidie, aliquando uenerunt post diem XL & VI, quàm à uobis discesserant: quorũ mihi fuit aduentus optatissimus. nam cum maximam cepissem lætitiam ex humanissimi, & carissimi patris epistola: tum uero iucũdissimæ tuæ literæ cumulum mihi gaudij attulerunt. itaque me iam non pœnitebat, intercapedinem scribendi feciſſe, sed potius lætabar: fructum enim magnum humanitatis tuæ capiebam ex si-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

lentio mearum literarum. uehementer igitur gaudeo, te meã sine dubitatione accepisse excusationẽ. Gratos tibi, optatosq; esse, qui de me rumores afferuntur, nõ dubito mi dulcissime Tiro: præstaboq;, et enitar, ut in dies magis magisq; hæc nascens de me duplicetur opinio. quare quod polliceris, te buccinatorẽ fore existimationis meæ, firmo id, constantiq; animo facias licet. tantũ enim mihi dolorem, cruciatumq; attulerunt errata ætatis meæ, ut non solũ animus à factis, sed aures quoque à cõmemoratione abhorreant. cuius te solicitudinis, et doloris participẽ fuisse, notum, exploratumq; est mihi: nec id mirum: nam cum omnia mea causa uelles mihi successa, tum etiã tua: socium enim te meorum cõmodorum semper esse uolui. quando igitur tum ex me doluisti, nunc ut duplicetur tuum ex me gaudium, præstabo. Cratippo me scito, non ut discipulum, sed ut filium, esse coniunctissimũ: nam cum audio illum libenter, tum etiã eius propriam suauitatẽ uehementer amplector. sum totos dies cum eo, noctisq; sæpenumero partem: exoro enim, ut mecum quamsæpissime cœnet. hac introducta consuetudine, sæpe inscientibus nobis, et cœnantibus obrepit, sublataq; seueritate philosophiæ, humanissime nobiscum iocatur. quare da operam, ut hunc talem, tam iucundum, tam excellentẽ uirum uideas quamprimũ. nam quid ego de Bruttio dicam? quem nullo tempore à me patior discedere: cuius cum frugi, seueraq; est uita, tum etiã iucundissima conuictio: non est enim seiunctus iocus à philologia, & quotidiana συζητήσει. huic ego locum in proximo conduxi, &, ut possum, ex meis angustijs illius sustento tenuitatẽ. præterea de-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

clamitare græce apud Cassium institui: latine autem apud Bruttium exerceri uolo. utor familiaribus, et quotidianis conuictoribus, quos secum Mytilenis Cratippus adduxit, hominibus & doctis, & illis probatissimis. multum etiam mecum est Epicrates, princeps Atheniensiũ, et Leonides, & horum cæteri similes. τὰ μὲν ὄντα καθ' ἡμᾶς, τάδε. De Gorgia autem quod mihi scribis, erat quidẽ ille in quotidiana declamatione utilis, sed omnia postposui, dũmodo præceptis patris parerem: διαρρήδην enim scripserat, ut eum dimitterẽ statim. tergiuersari nolui, ne mea nimia σπουδὴ suspicionem ei ali quam importaret. deinde illud etiam mihi succurrebat, graue esse, me de iudicio patris iudicare. tuum tamẽ studium, & consiliũ gratum, acceptumq; est mihi. Excusationem angustiarũ tui temporis accipio. scio enim, quàm soleas esse occupatus. Emisse te prædium, uehementer gaudeo: feliciterq; tibi rem istam euenire cupio. hoc loco me tibi gratulari, noli mirari: eodem enim fere loco tu quoque, emisse te, feciſti me certiorem. habes, ubi deponendæ tibi sint urbanitates. rusticus Romanus factus es. cum ego mihi nunc ante oculos tuum iucundissimum conspectum propono, uideor uidere ementem te rusticas res, cum uillico loquentem, in lacinia seruantem ex mensa secunda semina. sed quod ad rem pertinet, me tum tibi defuisse, æque, ac tu, doleo. sed noli dubitare mi Tiro, quin te subleuaturus sim, si modo fortuna me: præsertim cum sciam, cõmunem nobis emptum esse istum fundum. De mandatis quod tibi curæ fuit, est mihi gratũ. sed peto à te, ut quãcelerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem Græcus: multum

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

enim mihi eripitur operæ in exſcribẽdis hypomnematis. Tu uelim in primis cures, ut ualeas, ut una συμφιλολογεῖν poſſimus. Antherum tibi cõmendo. Vale.

TVLLIVS TIRONI SVO S.

S Pero ex tuis literis tibi melius eſſe, cupio quidem certe. cui quidem rei omni ratione cura ut inſeruias: et caue ſuſpiceris contra uoluntatẽ meam te facere, quòd non ſis mecum. mecum es, ſi te curas. quare malo, te ualetudini tuæ ſeruire, quàm meis oculis, et auribus: etſi enim et audio te, et uideo libenter, tamen hoc multo erit, ſi ualebis, iucundius. Ego hic ceſſo, quia ipſe nihil ſcribo, lego autem libentiſſime. tu iſthic, ſi quid librarij mea manu nõ intelligent, monſtrabis. una omnino interpoſitio difficilior eſt, quam ne ipſe quidem facile legere ſoleo; de quadrimo Catone. De triclinio cura, ut facis. Tertia aderit, modo ne Publius rogatus ſit. Demetrius iſte nunquam omnino Phalereus fuit: ſed nunc plane Bilienus eſt. itaque te douicarium. tu eum obſeruabis. Etſi, uerũtamen, de illis. noſti cætera. ſed tamen ſi quem cum eo ſermonem habueris, ſcribes ad me, ut mihi naſcatur epiſtolæ argumẽtũ, et ut tuas quãlongiſſimas literas legã. Cura mi Tiro, ut ualeas. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

TVLLIVS TIRONI S.

T Vero confice profeſſionem, ſi pots. etſi hæc pecunia ex eo genere eſt, ut profeſſione non egeat. ueruntamen. Balbus ad me ſcripſit, tanta ſe epiphora oppreſſum, ut loqui non poſſit,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Antonius de lege quid egerit. liceat modo rusticari. Ad Bithynicum scripsi. De Seruilio tu uideris, qui senectutem non contemnis. etsi Atticus noster, quia quondam me commoueri πανικοῖς intellexit, idem semper putat, nec uidet quibus præsidijs philosophiæ septus sim. & hercle, quòd timidus ipse est, δοξοποιεῖ. ego tamen Antonij inueteratam sine ulla offensione amicitiam retinere sane uolo, scribamq; ad eum, sed non ante, quàm te uidero. nec tamen te auoco à syngrapha. χόνυ μνήμης. Cras expecto Leptam: etenim ad cuius rutam pulegio mihi tui sermonis utendum est. Vale.

TVLLIVS TIRONI S.

E Tsi mane Harpalum miseram: tamen, cum haberem, cui recte darem literas, etsi noui nihil erat, ijsdem de rebus uolui ad te sæpius scribere: non quin confiderem diligentiæ tuæ: sed rei me magnitudo mouebat. Mihi prora, & puppis, ut Græcorum prouerbium est, fuit à me tui dimittendi, ut rationes nostras explicares. Offilio, & Aurelio utique satisfiat. à Flamma, si non potes omnem, partem aliquam uelim extorqueas: in primisq; ut expedita, sit pensio cal. Ian. De attributione conficies. de repræsentatione uidebis. De domesticis rebus hactenus. de publicis omnia mihi certa, quid Octauius, quid Antonius; quæ hominum opinio; quid futurum putes. ego uix teneor, quin accurram. sed s. literas tuas expecto. & scito Balbum tum fuisse Aquini, cum tibi est dictum,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

& postridie Hirtium. puto utrunque ad aquas. Sed quod egerint *. Dolabellæ procuratores fac ut admoneantur. appellabis etiam Papiam. Vale.

CICERO F. TIRONI SVO S.

Etsi iusta, & idonea usus es excusatione intermissionis literarum tuarum: tamen, id ne sæpius facias, rogo. nam etsi de rep. rumoribus, & nuncijs certior fio, & de sua in me uoluntate semper ad me perscribit pater: tamen de quauis minima re scripta à te ad me epistola semper fuit gratissima. quare cum in primis tuas desiderem literas, noli committere, ut excusatione potius expleas officium scribendi, quàm assiduitate literarum. Vale.

Q. CICERO TIRONI SVO S. D.

Verberauit te cogitationis tacito duntaxat conuicio, quòd fasciculus alter ad me iam sine tuis literis perlatus est. non potes effugere huius culpæ pœnam te patrono. Marcus est adhibendus: isq; diu, & multis lucubrationibus commentata oratione, uide, ut probare possit, te non peccasse. plane te rogo, sicut olim matrem nostram facere memini, quæ lagenas, etiam inanes, obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exsiccatæ: sic tu, etiá si, quod scribas, non habebis, scribito tamen, ne furtum cessationis quæsiuisse uidearis: ualde enim mihi semper & uera, & dulcia tuis epistolis nunciantur. Ama nos, & uale.

UNIVERSIDAD DE HUELVA·2010

Q. CICERO TIRONI SVO S. P. D.

Irificam mihi uerberationem ceſſationis epiſtola dediſti: nam quæ parcius frater perſcripſerat, uerecundia uidelicet, & properatione, ea tu ſine aſſentatione, ut erant, ad me ſcripſiſti, & maxime de conſulibus deſſ. quos ego penitus noui libidinum, & langoris effœminatiſſimi animi plenos. qui niſi à gubernaculis receſſerint, maximũ ab uniuerſo naufragio periculum eſt. incredibile eſt, quæ ego illos ſcio oppoſitis Gallorum caſtris in æſtiuis feciſſe: quos ille latro, niſi aliquid firmius fuerit, ſocietate uitiorum deleniet. res eſt aut tribunicijs, aut priuatis conſilijs munienda. nam iſti duo uix ſunt digni, quibus alteri Ceſenam, alteri Coſſutianarum tabernarum fundamenta credas. Te, ut dixi, fero oculis. Ego uos ad III. cal. uidebo, tuosq; oculos, etiam ſi te ueniens in medio foro uidero, diſſuauiabor. Me ama. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM FINIS.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

πολιτικώτερον, ciuiliorem. 22. κωμικὸς μάρτυς, comicus teſtis. 25: ὑξοχή, excellentia. 36. εὐγένεια, nobilitas. 36. πρ' ἐμοί γε καὶ ἄλλοι, οἵκ' ἐμὲ τιμῶσοιϊ, μάλιστα δὲ μητέρα ζεὺς, apud me quidem, & alij, qui me colent, maxime uero cõſiliarius Iupiter. 36. φιλαίτιος, querulus. 36. Ἐπικούρειον, Epicureũ. 39: εἰρωνεύεσθαι, diſſimulare. 48: εἰρωνευόμενος, ſimulans. 48: νλαυκεῖς Ἀθήνας, noctuam Athenas. 80. τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα, uirtutis uero ſudorem. 92. πολιτεύεσθαι, res publicas regi. 101: φιλοθέωρον, ſpectandi cupidum. 102: Νίκωνος περὶ πολυφαγίας, Niconis de edacitate. 105. γέλωτα σαρδώνιον, riſum Sardonium. 107. δυσεντερικὰ, καὶ δυσεντερικὰ πάθη, ueſicæ, & uiſcerum tormina. 107: δυσεντερείαν, uiſcerum morbum. 107: λιτότητα, frugalitatem. 107: διάῤῥοια, profluuium. 107. χρήσει μὲν, uſu quidem. 108: κτήσει δὲ, mancipio autem. 108: εὐτραπελία, feſtiuitas. 110. ἄκυρον, alienum. 110. ἀμφιβολία, ambiguum. 110. ὑπερβολὴ, ſuperlatio. 110. παράγραμμα, commutatio literæ. 110. παρὰ προσδοκίαν, præter expectationem. 110. εὔτεχνα, artificioſa. 110. σύνταγμα, opus. 113: διδασκαλίαν, diſciplinam. 113. ἔωλος, obſoleta. 126: λεληθότως, ſenſim. 127. πολιτείας, rerum publicarum rectiones. 127. νλαυκεῖς Ἀθήνας, noctuam Athenas. 127: περὶ δυνατῶν, de ijs, quæ fieri poſſunt. 127: κατὰ Διόδωρον εἶναι, ſecundum

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Diodorum iudicare. 127: τῆς ἀδυνάτων, ex ijs, quæ fieri non possunt. 127: κρίσις, iudicium. 127: χρυσιππεία, Chrysippeum. 127: καθὰ χρύσιππον δυνατὸν, secundum Chrysippum quod fieri possit. 128. σύν τε συνορμῶντε, simulq; duo euntes. 129. ἀπερριμμένον, reiectum. 129. πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονος διδασκάλου, multi discipuli meliores magistris. 129. ὀβελίζει, ueru notat. 131. τῆς ποιητῆς, poetæ. 131. συμβεβλημένοι, interiecti. 131. συμβιώτην, conuictorem. 131. ἀποφθεγμάτων, dictorum. 136: προλεγόμενα, antedicta. 138: ὀψιμαθεῖς, sero discentes. 138: ἀπότυγμα, quod non successit. 139. ὁ σοφὸς εὐθυρρήμων ἔσῃ, sapiens rectiloquus eris. 141. συμπόσια, compotationes. 141: συνδεῖπνα, concœnationes. 141: Κύρου παιδείαν, Cyri disciplinam. 142. ζήτημα, quæstionem. 142: πολιπορθον, urbis direptorem. 152. ὄργανον, instrumentum. 174: σκιαμαχίαι, umbratiles pugnæ. 174: λακωνισμὸν, breuitatem. 170. φιλοσοφούμενα, in philosophia tractata. 180. πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν, patriam meam magis amans. 191: εὐθυρρημονέστερος, liberior in loquendo. 194. πάντα περὶ πάντων, omnia de omnibus. 196. τυραννοκτόνοι, tyrannicidæ. 196. ὑπομνηματισμὸν, decretũ, quod ad rei memoriã literis mandatum sit. 203. ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἔνι στήθεσσιν ἔπειθεν, sed meum nunquam animum in pectore persuadebat. 210: ἄλκιμος ἔσσ' ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ, fortis esto, ut quis te & posterorum laudet. 210. ὡς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα, sic nebula inuoluit atra. 210. μὴ μὲν

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ἀσπουδεῖ γε καὶ ἀκλειῶς ἀχρλοίμην, Αλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι, ne negligenter, & sine gloria peream, sed magno aliquo edito facinore, & posteris audiendo. 210. Εὐριπίδου, Euripidis. 210. μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐκ αὑτῷ σοφὸς, odi sapientē, qui non est sibi sapiens. 210. ἅμα πρόσω, καὶ ὀπίσω, simul ante, & pone. 210. αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων, semper antecellere, & principem esse aliorum. 210. διοίκησιν, iurisdictionem. 222: ὑποθήκας, pignora. 224: τρεῖς διοικήσεις, treis iurisdictiones. 228. χολὴν ἄκρατον, bilem meram. 236: κατ' εἰδώλων φαντασίας, per spectrorum uisa. 253. διανοητικὰς φαντασίας, intelligentiæ uisa. 253. εἴδωλον, imago. 253. αἱρέσει, secta. 253: πάντα περὶ πάντων, omnia de omnibus. 253. πρόσωπον πόλεως, faciem ciuitatis. 253: ἀδέσποτοι, sine auctore. 253: τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετὸν, honestum per se optabile. 253: ἀκενόσπουδος, non inanis homo studij. 254. φλυαρὸν, garrulum. 254: σπουδάζειν, serio agere. 254: τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετὸν, honestum per se optabile. 254: ἡδονὴν, uoluptatem. 254. ἀναλγησίαν, indolentiam. 254: τῷ καλῷ, honesto. 254: οὐκ ἔστιν ἡδέως, ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν, non potest iucunde, nisi honeste, & iuste, uiui. 254: φιληδονοὶ, cupidi uoluptatis. 254: φιλόκαλοι, καὶ φιλοδίκαιοι, cupidi honesti, & cupidi iusti. 254: ἀντιμυκτηρίσαι, uicissim subsannare. 254: κακοστόμαχος, stomacho non bono. 258. ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ, tuta quidem, sed diuturniora. 259. ψύχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

πολεμιώτατον, *frigus autem tenui cuti inimicissimum.* 259. ἔτυμον, *notationem.* 262. κανὼν, *regula.* 263: ἄκυρον, *improprium.* 263. διαφόρησιν, *gestationem.* 263: πέψιν, ἀλυπίαν, περίπατον σύμμετον, τέρψιν, εὐλυσίαν κοιλίας, *concoctionem, hilaritatem, ambulationem modicam, oblectationem, facilitatem alui.* 263: συζητήσει, *mutua quæstione.* 264: τὰ μὲν οὖν καθ' ἡμᾶς, τάδε: *quæ igitur ad nos spectant, hæc sunt.* 265. διαῤῥήδην, *aperte.* 265. σπουδὴ, *contentio.* 265. συμπιλολογεῖν, *de literis inter nos disputare.* 265: πανικοῖς, *panicis terroribus.* 266. θορυβοποιεῖ, *tumultuatur.* 266. γόνυ κνήμης, *genu tibiæ.* 266.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

VARIAE LECTIONES: IN QVIBVS lector admonendus est; quæ duabus prioribus literis scriptæ sunt maiusculis, eas ex ingenio, reliquas ex uetustis libris omnes esse.

frequentis. non magna 4. ID mihi uehementer g. 32.
tempore Catoniano 6: honorem, n. ad gratia 36.
uirtutiq;. simul 7: COnscientiæ meæ 39.
uidentur, siquidem 9. committere, ut scrib. 39:
fuisse, cum 14. Censores creentur 40:
inscientem me fugisset 15. gesta sunt, ab alijs 44:
ARtis est; & si portum quasi perditiuis 47:
t.n. q, cum id 15: aut quid? non illis rebus
semper præstare 16. excitatus a. calere 50.
QVas Menocrati 16: uicem, cedo, 50.
nominare. quos 16: temporibus f. ut eorum
esset, paraturum 16: tum 51:
quis est tam scrib. 18. tuæ, cuiuscuiusmodi 53.
Vita decederet 18: frui, stulti n. priuatam 54.
rationem edisseram 18: uti medicos: coegi 56.
EXpectas: domesticos 19. PEruenirì 57:
cum Seruilium 20. nunquam imminuta 60.
S.P.D. Primum tibi 22: leues ab hmõi homi. 61:
ad me, quod 22: Essem, ad Lollium 61:
idem certos 28: domum XXXV. 63.
Ariobarzanem, quia 29. beneuolentia pari 65.
proficiscentur, ut 30. obtrectationis, & iniuri-
OMnia summæ 32: as 65:

LEgendo

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

LEgendo retinere 68. in Pand.) 105.
PAtriæ non plus 70. tantum quod ex 105:
uiuere posse eq. maxi. 71. tamen erant 106.
Videar t. non dedisse 73. OPinor Crassum 106:
TEmporibus nos nati 73: BOnum cantorem 107.
IPsíq; Valerio 75: uereri, nisi istum hab. 107.
REm à me non insipienter VEreri, nisi istum caueri=
excogitatam, ne cogita= mus, 107.
tam quidem putes 75: si fio, si forsitan. 113.
quando de logæo parum inepto? aliquid 113:
grauisum, uel gauisum, Cornificius adolescentiorem
uel, gratiosum 76. Syllæ filiam 116.
quemuis auctorũ, aut eorũ, hercule consepta omnia fœ
qui discesserũt. alteri. 80: dera & 115:
non quo, sed quòd diff. 81. concerpitur: leuiss. 116.
aliquando defuisset 83: dederit si quod iniurijs suis
solistimis, aut soniuijs 83: esset, ut Vestorius tene=
TREBIANO S. D. uel ret 116:
TREBELLIANO 87. ut solent, non redigam 117.
SCribere, hac opinione 91. Ad hunc ordinem referri.
ut mihi uidetur, 92: ita legendum nõ nulli pu
LOquor) reliquos 96: tant, quòd in antiquo li=
scriptum erat, M. Rufum, bro scriptum est, adhuc or
uel, M. Vrsiuium 98. dinem referri 118.
faciã, u. hũc Leptæ dele. 98: audent. scena rei 121:
ANtea ne anabata 100. bellum se erupit 123:
facias? ubi 101. cognoscam quidnã rei. 123.
sero. primas 102: hanc portam, uel partẽ 125:
præsertim tantis n. 104. coegero, arrũtaniũ me 125:
posse: NI (ex Budæo aliquid: mane ut 126:

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

fecerunt, grauare rẽp. 127. *quàm me iuuare* 153:
Chryſippias hæc, quam 127. *illis ferventibus* 157:
De Coctio 128. C. Catium 157:
alicubi, ſi quid 129. *miſſum ab A. ad me cũ* 157:
ingentium cularum 131. *Iun. anerone* 158.
domum Silianam 135. TVam *nauatam* 159:
poſuiſti loco 136. FAma, *ſententiaq́;* 159:
Mihi Pompilum 136: LEntulum Conſ. (*ex epiſto-*
rẽ habebas, quæſticulis 136: *lis ad* Atticum 124.) 164.
antea delibitari 136: *ſtudia officij mutuo* 167.
idem quod phil. 137. Reddidit, Quom 170:
artolagani. n. i. ex artis 138. *hominib. honoris, non* 172.
Violat Iupiter. *bene* 140. *obſtrinxerim. ſeptem* 172:
turpis. ſuppendet, uel ſuſpẽ- *alij facti* 173:
det, uel, ſuſcipitur 140: *ambitus excitare* 175:
tempore ferre te p. 141: *niſi, quòd* 176:
ſtatuo ſtudeoq́; habere com- *reſtitutionem mecum* 178.
munem; uel, ſtatuo habe COmmode *nobis* 178:
re cõmunẽ, uel, ſtatuo ha *frequentes uentitare* 182.
bere eſſe cõmunẽ: ut non ANceps *propter* 187:
abſurde quidam legendũ Cypro, *ac Romam yatri-*
putent, ſtatuo debere eſſe *de* 190.
communem 144. *iniuriæ unquam* 190:
exiſtimarent. elic. 148. GErebant: *hac* 192:
itineribus Vienna 149. POſſent, *uoluerunt* 193.
fuerunt. ſtatimq́; equita- COnſumpſerant 193.
tum 150. *nauſeantem confeci* 198:
Allobrogibus *iter conſti-* GErere *cogamur.* 201.
tui, 150. *ignominia non* 201:
complexus es, tene, 151: Q. F. ORTAE (*antiquus*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

liber Pauli Boti) 203:
feceris, existimes, q.i.p.m.h.
i.m.h.a.te. hoc 204:
incredibili quiddam 205:
DElectatur 208.
tamen ratio comm. 208.
amicissimum. Em hic ille est
maxime, q.i.a.o. me soli=
tus est 210.
VT eum & in 213.
tamē sperauit apud te meas
quoq; literas ualituras 214:
operæ; & ut uolet is in for
mulis. probo coniecturam
eorum, qui legendum exi
stimant; &, ut uos sole=
tis in formulis, 215
Q. ACHARIO 220.
M. C. DECIO AV=
CTO 222:
Milaseis, et Alabādeis 224:
carissimus est, M. Le. 226:
homines, quibus e. serui=
ui 235.
SVmus ad II cal. 235.
possitis. quoquo modo qui=
dem nunc 238.
MOdo & uestras l. e. e. s.
ipse ad 238:
εὐσεβῆ καὶ φιλορωμαῖ=
ον, 242.
eius atque 242:
Sepyrā, & Cōmorin 245.
Amafinij 254:
FAceta s. s. secus, fiūt 255:
COlam, commune 256.
CAL. Dec. 257:
scripsi ad Vmmium 262:
comitatu ἄφων, ἤχπηϛα 263
τέψιν, ἄκεπαν 263:
commouebis. Elico 263:
factus es. qūo ego 265.
PRæsidijs septus 266.
oratione uidelicet pr. 266:

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

PAVLI MANVTII SCHOLIA IN FAMILIARES CICERONIS EPISTOLAS.

EX EPISTOLA I. LIBRI I. PAGINA I.

QVOD *commodo reip. facere possis*] *Olim ita emendauimus, cum aliter in omnibus impressis legeretur. sunt autem uerba, quibus ueteres utebantur, ut id, quod faciendum decernerent, ita demum fieri uelle ostenderent, si modo reip. commodo fieri posset. Cæsar libro* I. *comm. charta* 12. *Quoniã* M. *Messalla,* M. *Pisone cõsulibus senatus censuisset, uti quicunque Galliam prouinciam obtineret, quod commodo reip. facere posset,* Heduos *cæterosq; amicos populi* R. *defenderet: se* Heduorum *iniurias non neglecturum. & lib.* V. *charta* 60 : *scribit* Labieno, *si reip. commodo facere posset, cum legione ad fines* Neruiorum *ueniat. item lib.* VI. *char.* 73 : Labienum, Treboniumq; *hortatur, si reip. commodo facere possint, ad eam diem reuertantur.* Cicero *item ad* Brutum, *epistola* V. *Decreui hoc amplius, ut tu, si arbitrarere utile fore, & è rep. esse, persequerere* Dolabellam *bello : si minus id commodo reip. facere posses, in ijsdem locis exercitũ contineres. ad* Appium *autem epistola* VII. *lib.* III. *Quod, inquit, tuo commodo fieri possit, utriusque nostrum magni interest, prius ut te conueniam, quàm decedas. et libro* XIII. 219. *simili sententia dixit, quod*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ſine moleſtia tua facere poſſis. ad Atticum *autem epiſtola* III. *lib.* I. *quod commodo tuo facere poteris, uenias ad id tempus. itemq; alibi ſæpius, quod tuo commodo fiat, quòd ſine peccato meo fiat. quibus ex locis, uetere hanc, atque uſitatam fuiſſe locutionem, cognoſcere quiuis poteſt.* Noſtra *coniectura hæc eſt, quam, ut oſtendimus, ueterum ſcriptorum auctoritas confirmat. quòd ſi quis legere malit,* Quod commodo rem facere poſſis, *ut fere eſt in omnibus antiquis exemplaribus, accipiendum erit, cõmodo pro commode, quemadmodum & Plautus in* Friuolaria, *& Titinius in Iuriſperita locuti ſunt: quos* Chariſius *citat: qui etiam, arcano pro arcane, quotidio pro quotidie ueteres dixiſſe, tradit.*

Ex *epiſtola* II. *charta* 3.

LENTVLI *conſulis*] *In libris quibuſdam manuſcriptis legitur,* Lucij *conſulis non omnino abſurde: poteſt enim intelligi de* L. Philippo Lentuli Marcellini *in conſulatu collega. ſed,* Lentuli; *ſi legas: de* Lentulo Marcellino *accipietur.*

3.

QVATENVS *de religione dicebat*] *Senſus hic eſt. cum* Bibulus *ſententia ſua duas res complexus eſſet, de religione, & de tribus legatis: poſtulatum eſt, ut eius ſententia diuideretur, id eſt, ut ſingulis de rebus ſeparatim referretur. ac, de religione quatenus dixit, ut ſcilicet contra* Sibyllinos *libros ne decerneretur, qui regem* Aegyptium *cum exercitu reduci uetarent: aſſenſum (inquit) eſt. caput illud, de tribus legatis, qui regem reducerent, improbatum. dixit autem, frequentes ierunt in alia omnia, pro frequentes diſſenſerunt.*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

neque ſolum, ire in alia omnia, ſed & diſcedere, & tranſire, eodem ſenſu ueteres dicebant. libro X. ad Plancum, char. 151. Eum (inquit) ſenatus reliquit, et in alia omnia diſceſſit. Hirtius autem prope finem VIII. de bello Gallico libri, Diſceſſionem (ait) facientе Marcello, ſenatus frequens in alia omnia transijt. Feſtus Pompeius in dictione Ques. Qui hoc cenſetis, illuc tranſite: qui alia omnia, in hãc partem. his uerbis præit, ominis uidelicet cauſa, ne dicat, qui nõ cenſetis. inde factũ, ut ire in alia omnia idẽ ſignificet, quod non cenſere, id eſt, contra id, de quo diſceſſio fit, ſentire.

3.

MVLTIS partibus plures] Sunt qui ita exponant: uidiſſe conſules, in Hortenſij ſententiam plures ituros à multis partibus, ideſt hinc, & illinc; parum ſcilicet agnoſcentes puriſſimam, & ornatiſſimam locutionem, qua eloquentiſſimi eius ætatis uiri ſuis in ſcriptis eleganter uſi ſunt. M. Cœlius libro harum epiſtolarum VIII. pag. 119. Turpe tibi erit, Patiſchum Curioni decem pantheras miſiſſe, te non multis partibus plures. item Cæſar 185. quoniam numero multis partibus eſſet inferior. multis partibus plures, & multis partibus inferior dixerunt, pro eo, quod eſt, multo plures, & multo inferior. Cicero item libro III. de finibus 98. multis partibus malit, pro multo malit. Suetonius quoque, non omnino malus Latinitatis auctor, in Iulij uita eodem loquendi modo uſus eſt.

Ex epiſtola III. char. 4.

T. AMPIVS] Antea, T. Appius, corrupte legebatur: duo enim prænomina ſimul eſſe non poſ-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ſunt, ut ſi dicas, Marcus Caius, *aut* Cneus Lucius. Ampiorum *autem familiam* Romæ *fuiſſe, notiſſimum eſt.*

Ex epiſtola IIII. char. 4.

PRIDIE EIVS *diei f.*] Dicit *quod ſupra in epiſtola* II. *in qua ita ſcripſit:* De tribus legatis, frequentes ierunt in alia omnia. *ſed cum ibi factum id eſſe dicat die, qui conſecutus eſt idus* Ian. *hic autem die, qui* XVI. cal. Febr. *præceſſit: fuere, qui, dum arbitrantur,* Ianuario *menſe, ut nunc, ità tum unum & XXX fuiſſe dies, corruptum eſſe locum crederent, uidentes hanc diem, ut quidem ipſi numerabant, aliam eſſe ab ea, quæ eſt in epiſtola* II. *cum tamen eandem eſſe oporteret, quòd abſque dubio locus hic alter de tribus legatis repetitio prioris eſſet. quòd ſi ad rationem eius anni, quo ſcripta eſt epiſtola, ſupputaſſent: & locum carere mendo, & eandem, quam in* II. *epiſtola diem ſignificari, cognouiſſent: fuit enim tunc* Ianuarius *menſis tantummodo* XXIX. *dierum. poſtea* Iulius Cæſar *annum corrigens, binos addidit, et, ut tricenos ſingulos haberet, qui antea tantummodo* XXIX. *habuerat, effecit. auctor* Macrobius.

4:

EGO TIBI à *ui*] Timebat, *ne tribunus aliquis per uim legem ferret, qua* Lentulo *uel* Ptolemæi *regis reſtitutionem eriperet, uel imperium abrogaret: quod factum eſt. epiſtola* II. *libri* II. *ad* Q. Fratrem *eadem de re ſcribens,* Quid futurum ſit, *inquit, latrocinio tribunorum, non diuino: ſed tamen ſuſpicor per uim rogationem* Caninium *perlaturum.*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Ex epistola V. char. 5.

HIC quæ agantur] Aut hoc est alterius epistolæ initium : aut quæ sequuntur, non eodem die scripta sunt, quo superior epistolæ pars. sæpe autem accidit, ut literas non continuata, sed crebro repetita scriptione conficiamus, singulis diebus noui aliquid appingentes: id quod in epistolis ad Atticum scriptis sæpissime factum uidemus.

Ex epistola IX. char. 12.

NON modo præmijs] Ita legendum est, & ita in libris uetustissimis habetur. sed cum locutio primo aspectu durior uideatur, hinc factum est, ut ueterem lectionem hactenus omnes contempserint : quam nos eo libentius restituimus, quòd ea Ciceronem alibi quoque non semel usum esse animaduertimus : epistola enim VI. libri X. ad Atticum, regnum, inquit, non modo Romano homini, sed ne Persæ quidem cuiquam tolerabile. et ad eundem scribens 184. mihi non modo iracsci grauissima iniuria accepta, sed ne dolere quidem impune licet. libro autem de oratore I. Neque solum inscientiam meam, sed ne rerum quidem magnitudinem perspicit. harum autem epistolarum lib. IX. 127. Hoc tamen scito, non modo me, sed ne ipsum quidem principem scire, quid futurum sit. quanquam hic quoque inculcata erat dictio, non : quæ in libris manuscriptis non est.

12.

IN prætura autem, & in consulatu] In prætura orationem habuit pro lege Manilia; qua populum magnopere est hortatus, ut Pompeio Mithridaticum

bellum lege à Gabinio lata demandaretur. in consulatu autem cum alijs officijs Pompeium ornauit, tum etiam illo, quòd retulit de supplicationibus ei decernendis pro rep. Mithridatico bello feliciſſime geſta. uide orationem de prouincijs conſularibus.

12.

BONORVM omnium conſenſio] Antea, conſenſus. nos, conſenſio, reſtituimus ex ueterum librorum fide.

13.

SI ijs pro me ſtante pugnare licuiſſet] Septimum abhinc annum, cum hos epiſtolarum libros, quàm diligentiſſime tum potuit, emendaremus, hunc locum ita, ut legitur, ex libris manuſcriptis reſtituimus, cum antea ita corruptus eſſet, ut bonus ſenſus elici nullus poſſet.

13.

PRIMVM illa furta] Hæc fortaſſe parentheſi ſunt includenda; ut ſubaudiatur, fuerant. quaſi dicat, omitto corruptum illud iudicium de ſacris Bonæ deæ uiolatis: loquor de ijs, quæ poſt reditum meum flagitioſe commiſſa ſunt. nam ſi, primum illa furta, intelligas reditum Ciceronis eſſe conſecuta: præter hiſtoriæ fidem erit: neque enim illa furta muliebrium religionum Ciceronis exilium ſunt conſecuta. itaque Vbaldini Bandinelli, qui legendum arbitratur, illa furia, coniecturam probamus. quoniam tamen in omnibus manuſcriptis libris illa furta legimus, opinioni noſtræ, fortaſſe nobis ipſis aſſentantes, libentius acquieſcimus.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

15.

PAR *pro pari*] *Antea, cum legeretur, par pari, uersus erat mancus, qui nunc integer est, addita à nobis propositione pro, ex uetustissimo libro* Pauli Boti Regiensis, *hominis tum religiosi, tum etiam literati. itaque etiam in* Terentio *uersus est restituendus.*

17.

LIBERALITATEM] *Alij, libertatem. ego nihil muto. uidi enim librum perantiquum, quem habet adolescens nobilis et literatus* Bernardinus Maffeus, *in quo, liberalitatem, scriptum erat. quam uocem eo libentius conseruaui, quòd subijcit paulo post, cum sine suspicione tuæ cupiditatis non possis illius cupiditatem refutare. quòd enim dixerat, liberalitatem, antitheton opposuit, suspicione cupiditatis.*

17:

FACILITATE *autem, quod uellem*] *Alij aliter. mihi, quæ lectio in nostris libris est, magis probatur. nã et sensum, ut opinor, habet meliorẽ: et in uetustis aliquot exẽplaribus ita scriptum animaduertimus.*

Ex epistola ultima, char. 17:

CVR *enim tibi hoc non gratificer, nescio*] *Sensus horum uerborum ex titulo pendet: cum enim ita inscripsisset,* VALERIO IVRISCONSVLTO, *subiunxit, nam cur te iurisconsultum non appellem, nescio, etiam si iurisconsultus ualde non sis: iocans uidelicet cum eo familiarius, quod etiam in reliqua epistola facit. & libro tertio.* 31. *ad Appium scribens,* L. Valerium, *inquit, iurisconsultum ualde tibi commendo, sed ita etiam, si non est iurisconsultus.*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

quoniam autem sunt, qui huius epistolæ initium desiderari potius, quàm esse hoc, quod legitur, existimét: aliud huic simile Ciceronis exemplum ex epistolis ad Atticum scriptis afferemus. ita igitur libro III. 4 9.

M. CICERO S. D. Q. CAECILIO Q. F. POMPONIANO ATTICO. *Quod quidem ita esse, & auunculum tuum functum esse officio, uehementissime probo. quorũ uerborum sensum hic quoque ex titulo regi, nemini est obscurum. dicit enim, se probare ita esse, id est, eum, ab auunculo adoptatum, & hæredem factum, appellari non, ut antea,* T. Pomponium Atticum, *sed (ut in adoptionibus fieri solebat: in quibus eius, qui adoptabat, & prænomen, & nomen, & cognomen, & aliquando etiam agnomen ij, qui adoptabantur, sumebant, nomen, quod ante habuerant, deriuantes, ut in anum desineret: cognomen tamen suum, ut antea fuerat, retinebát: sed post eius cognomen ponebant, qui adoptarat, si modo id ille habuisset)* Q. Cæcilium Q. F. Pomponianum Atticum: *ut nemo iam de epistola ad* Valerium *dubitare possit.*

17.

PARTIM *te superbum esse dicunt, quòd nihil respondeas; partim contumeliosum, quòd male respondeas*] *Iocus est in his uerbis & abstrusus, & elegãs: uult enim innuere, ideo nihil eum respondere, nõ quòd superbus sit, sed quòd aut eum nemo consulat, cum homines bonum iurisconsultum nõ existiment; aut si quis consulat, nullum auferat responsum ob eius ignorantiam: ideo autem male respondere, non quòd contumeliosus, sed quòd imperitus, & indoctus.*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Ex epistola I. libri II. char. 18.

QVODQVE *in omnibus tuis rebus, meis optatis fortuna respondet; breue est, quod me tibi præcipere meus in te amor cogit*] Hic *locus antea perperá interpunctus distrahebat sensum: quem nos, distinctionibus immutatis, tanquam in suam sedem reduximus. est autem hic, quod me facere meus in te amor cogit, ut tibi præcipiam; id faciam breuiter: quando omnibus tuis in rebus meis optatis fortuna respondet.*

Ex epistola V. char. 20:

IN SVFFRAGIIS *studia*] Dictionem, *studia, sustulimus: supra enim dixit, studium: è qua uoce sequentes genitiui reguntur.*

Ex epistola IX. char. 23.

DE *te, quia, quod sperabam; de Hillo, (balbus enim sum, quod non putaram*] In *epistola, quæ tertia est* VIII. *libri,* Cœlius de Hirro competitore loquēs ita scripserat. *spero te celeriter auditurū & de nobis, quod speraſti; & de illo, quod uix sperare ausus es. itaque* Cicero respondens, *ijsdem fere uerbis eadem repetit: & quia* Cœlius scripserat, *de nobis, quod speraſti; de illo, quod uix sperare ausus es; rescribit; de te, quia, quod sperabam; de* Hillo, *(balbus enim sum) quod non putaram. facete autem, cum repeteret uocem illam* Cœlij, *Illo, aspirationem addidit, & subiunxit (balbus enim sum)* Hirrum *significans: cuius nomen propter balbutiem exprimi à se non posse fingit. in sequentibus autē cū, r, literá expedite proferat, sed balbi, inquit, nō sumus.*

23.

DIVISVS *aquarum diuortijs*] Pleroſque *latet*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

huius loci ſenſus. & uidi doctos alioqui uiros, qui ſic interpretarentur: fuiſſe fluuium, qui montem Amanum interfluens diuideret, & Ciceroni, ac Bibulo communem faceret: cum dixerit Cicero, non diuiſus fluuio, aut, diuiſus aquis, ſed, diuiſus aquarum diuortijs. quam illi uocem parum diligenter expenderant. diuortium autem aquarum ita fit. cadunt in montem aquæ pluuiæ. is mons cum ſit procliuis, utrinque defluant, & decurrant, neceſſe eſt. ita fit, ut diuidátur, & earum quaſi diuortium fiat. itaque dixit de oratore libro I. 149. ut ex Apennino fluminum, ſic ex communi ſapientium iugo ſunt doctrinarum facta diuortia. ad Atticum autem idem ſcribit, quod ad Cœlium, inquit enim libro V. 76 ad Amanum contendi, qui Syriam à Cilicia aquarum diuortio diuidit. Liuius etiam libro XXXVIII. ubi loquitur de Cn. Manlio, prope, inquit, ipſis iugis ad aquarum diuortia caſtra poſuiſſe: id eſt, ad eum locum, unde aquæ duas in partes diuiſæ incipiunt defluere. à quo igitur loco ex Amano monte Ciliciam uerſus aquæ delabebantur, ad eum uſque locum Cilicia pertinebat. & ex altera montis parte, eadem Syriæ, quam Bibulus regebat, erat ratio: terminum enim habebat eum locum, unde in eam ex Amano defluere aquæ incipiebant.

Ex epiſtola XI. char. 24.

QVINQVATRVS] Dictum opinor nominandi potius, quàm, ut alij crediderunt, generandi caſu. nam hanc uocem tantum multitudinis numero memini me legiſſe. forte etiam legi poſſit, quinquatri-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

bus: ut intelligatur dies, quo gestæ sunt res, non quo allatæ: cum inferat, citeriora nondum audiebamus. nam in libro manuscripto, quem habet uir doctissimus Hieronimus Ferrarius Corrigiensis, *legitur, quinquat. ut etiam pro, gladiatoribus, gladiat. uetustis in libris quandoque scriptum uideas.*

Ex epistola XIIII. char. 26.

EXEMPLO] *Antea, exemplum. nos ex uetustis libris, exemplo, sextum ab hinc annum correximus, & impressimus.*

26:

PONTINIVS] *Nam is quidem superiore honore usus erat: fuerat enim prætor* Cicerone cons. *itaque dixit ad* Atticum *epistola* II. *lib.* VI. *Fratrem solum habeo prætorium:* Pontinius *enim iam à me discesserat.*

26:

DE MATRINIO] *Locus est obscurus, cuiusmodi in ipsius* Ciceronis *scriptis alij quoque sunt. quare etsi sensum non percipio, tamen ueterem lectionem libenter conseruo. omnino & libri sunt, in quibus legitur,* De matrimonio: *sed uetustiores habent,* De Matrinio. *quæ uox quid sibi uellet, cum minus constaret: fuisse opinor, qui* Matrinio *delerint, & matrimonio ex ingenio reposuerint. forte autem, cum ad* Cœlium *ædilem scribat, de* Matrinio *scriba ædilicio, cuius meminit in oratione pro* Cluentio, *quidpiam significauit, sed nihil affirmamus.*

Ex epistola XV. char. 27.

NON ENIM *te celaui sermonem. sed non*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ne tum prouidiſti] Sic antea. poſtea alij aliter emendarunt. nos, cum in uetere libro ſcriptum uideremus, non enim te celaui ſed nomen tuum prouidiſti: coniecturam ſecuti correximus: non enim te celaui. ſed non ne tum prouidiſti. &c.

27:

SED ego fortaſſe uaticinor) Non eſt hic uaticinor pro diuino, ſed pro ariolor, & quaſi deliro, ut etiam in oratione pro Seſtio, uaticinari eos atque inſanire dicebat.

Ex epiſtola IIII. libri III. char. 31:

PRO noſtra conſtantiſſima uoluntate erga te] Nihil muto. Cicero enim id agit, ut oſtendat, etſi Appij conſuetudine propter inimicitias P. Clodij nō ſit uſus, nunquam tamen ei ſe fuiſſe inimicum, neque ſuam in illum priſtinam uoluntatem unquam fuiſſe immutatam. epiſtola etiam huius libri IX. ita ſcribit, conſcientia meæ conſtantis erga te uoluntatis. itaque de hac lectione non arbitror eſſe dubitandum.

32.

C. PONTINIVM, *legatū*] Ciceronis Ciliciæ proconſule quæſtores fuere L. Meſſinius, C. Cœlius: legati Q. Cicero eius frater, C. Pontinius, M. Anneius, L. Tullius: tribunus mil. Q. Fuffidius: præfectus euocatorum Antonius: præfectus fabrum Q. Lepta: ſcriba M. Tullius: accenſus Pauſanias: apparitor M. Marcilius. de quæſtoribus, legitur in his epiſtolis 29: et 214: de legatis 245. de tribuno mil. 209. de præfecto euocatorum 34: de præfecto fabrum 35: de ſcriba 74: & ad Atticum 70. de accenſo 35. de apparitore. 223:

Ex

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Ex epistola VIII. 36:

CVM *ad urbbem esses*] Antea, *isses*. *nos*, *esses*, *ex libris manuscriptis*, *& ex alijs ipsius* Ciceronis *locis: inquit enim ad eundem* Appium *scribens*, 34: *ad urbem te otiosissimum esse arbitrabar*. *& ad* Atticum *lib.* VII. 113. Trebatius *quidem scripsit*, *se ab illo* IX. *cal.* Feb. *rogatum esse*, *ut scriberet ad me*, *ut essem ad urbem*. *& alibi*. *dicebatur autem de ijs*, *qui cum potestate prouinciali reuersi*, *aut in prouinciam profecti nondum essent*. *auctor* Pedianus.

38:

LAEDI *se putat*] *Quòd ex meis institutis non eos fructus capiat*, *quos capere solitus erat ex tuis*. Huc *spectat id*, *quod sequitur*, *liberalitas tua*. *& illud paulo post*, *non debent mirari homines me esse acerbum sibi*, *ut sim dulcis mihi*.

Ex epistola X. 41.

SI CLAM, *magis aperte inimicus esse*] *cum antea legeretur*, *sic iam magis aperte inimicus essem*: Petrus Danesius Parisiensis, *uir doctrinæ singularis*, *cuius ego iudicium tanti facio*, *ut tum demum aliquid probem*, *cum ipsi probaui*, *animaduertit*, *corruptum esse locum*, *& sententiam secutus*, *nihil adiuuantibus uetustis libris*, *ex ingenio felicissime correxit*.

41:

AD ME *autem adire quosdam memini*, *nimirum ex* Epicteto, *qui dicerent*] Licet *alij credant*, *quod lubet*. *ego tres illas dictiones*, *nimirum ex* Epicteto; Ciceronis *esse non existimo*, *neque hactenus in ue-*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

tustis libris inueni, quanquam & multos, & uetustissimos inspexerim.

2:

QVAE *à me perfecta, quæq; instituta sint, cognosce*] *Alij, quæ à me profecta. placet, profecta, consentientibus antiquis libris: ut hoc dicat, exponere se uelle non solum quæ pro Appio iam perfecerit, sed etiam quæ instituerit. exposuit autem, opinor, in commentario, quem literis adscriptum mittebat.*

Ex *epistola* XII. 44:

ANTE *diem* III. *non.* Sext.] *Perinde est, ac si dixisset,* III. *non.* Sext. *id ex libri* XVI. *epistola* V. *ad* Tironem *intelligi facile potest. ante diem* III. *non. ueteres dicebant, id est die tertio ante nonas. nam cum dicitur,* III. *non. concisa locutio est: quæ integra esset, si diceres,* III. *die ante nonas: qua non admodum utebantur antiqui, sed eius lōco, ante diem* III. *nonas.*

Ex *epistola* V. *libri* IIII. *char.* 50.

AN *illius uicem (credo) doles?*] *Forte melior lectio, at illius uicem c. d. ut per ironiam sine interrogatione dicta sint.*

Ex *epistola* IX. 54.

CONIVNCTVM *esse periculum suo cerneret*] *Alij hanc lectionem uidentur suspectam habuisse. nos eam in uetusto libro* Ioannis Scalæ, *& in alijs manuscriptis inuenimus.*

Ex *epistola* XI. 55.

BONIS] *Nobis, emendassem, ut* Hieronymo Ferrario *placet, nisi uetusti omnes libri repugnarent.*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

quanquam & in oratione XIII. in Antonium, ubi uulgata exemplaria, omnibus enim bonis, habent; manuscripta, omnibus enim nobis.

Ex epistola XII. 56.

CERTA res nulla] Scripsimus, ulla, ut in antiquioribus libris legitur. locutionem esse usitatam intelliget, qui uiderit ea, quæ diximus in illum epistolæ penultimæ libri I. locum, non modo præmijs.

57:

VT te horter, et obsecrem] Nihil muto. sic enim in VIII. uetustissimis exemplaribus scriptum esse uideo. aliorum tamen lectionem non improbo: etsi eam in libris manuscriptis ipse quidem nondum inueni.

Ex epistola II. libri V. char. 60.

MVTIA] Pompeij magni uxore, Scæuolæ filia, quam postea dimissam, quòd adulterium cum Cæsare commisisset, M. Scaurus, Syllæ priuignus, in matrimonium duxit. Pedianus 69: Suetonius 14:

60:

IN aliquo magistratu] Vetustiores libri habent, in animo: ex quo legendum esse, minimo, existimat Vbaldinus Bandinellus: quam & nos ueram huius loci lectionem esse credimus. more enim suo contrarijs cõtraria reddidit, cum dixit, ego consul, qui remp. conseruaram, ea sum affectus iniuria, qua minimo magistratu nemo unquam improbissimus.

Ex epistola IX. 65:

CVM Vardæis] Antea, Vardacis, legebatur. nos in libris manuscriptis lectionem, quam impressimus, inuenimus. neque de ea dubitandum quidquam

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

cẽſuimus, cũ à Plinio Vardæos *inter* Dalmatiæ *populos, in qua* Vatinius *bellum gerebat, numeratos uideremus.*

66.

ACTIONE *expoſtulant.*] *Ea forma dictum eſt, qua, actione repetere. omnino antiqui libri habent, actiones expoſtulant. ſed mihi quidem magis probatur, actione expoſtulant; aut, actiones poſtulant.*

Ex *epiſtola* XII. 68.

IGNOTIS *nota faciebant*] *Ignotis, pro ijs, qui non nouerant, actiue poſuit, ut etiam* Liuius *lib.* III. *notos gratia eorum, turbam indignitas rei uirgini conciliat. &* Curtius 64: *ignoti iumenta agebant.* Plautus *autem in* Pſeudolo, 194. Noui: *notis prædicas. notis, dixit, id eſt ijs qui nouerant. itemq́;* Cicero *in oratione pro* M. Cœlio, 38. *et in* Verrem *libro* VI. 251.

Ex *epiſtola* XIII. 69:

ITAQVE *hoc etiam*] *Atque hoc etiam legendum putat* Hieronymus Ferrarius, *ſenſu omnino meliore: tamen nihil immutandum duxi, cum libris omnes manuſcripti cum impreſſis conſentiant.*

Ex *epiſtola* XIIII. 70:

QVAM *à me diſceſſeras*] *Vetuſtos libros, quibus ego nunc multis ad harum epiſtolarum emendationem utor, ita, ut impreſſimus, habere omnes uideo. itaque aliorum lectionem non ſequor.*

Ex *epiſtola* XIX. 74.

M. CICERO RVFO S. D.] *Aut mendoſus eſt huius, & ſequentis epiſtolæ titulus, & pro* Rufo, *legendum,* Meſſinio: *aut* Rufus Meſſinio *cognomen fuit.* Meſcinius *quidem hic ſit, neceſſe eſt: cuius fratrem*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

fuisse M. *Mindium, scribit lib.* XIII. 214: *quem epistola sequenti, ad eundem hunc* Rufum *scribens, fratrem eius esse dicit.*

74:

QVARE *tu*] *Ita in impressis: sed in manuscriptis,* Que tu: *aut,* Quæ tu: *quo modo legitur in libro* Petri Bembi, Cardinalis *omni laude cumulati, et in exẽplari* Mediceæ bibliothecæ. *docti locum diligentius considerent. ego, hoc adnotare, mei officij esse duxi.*

Ex *epistola penultima,* 78:

M. TVLLIVS *scriba meus*] *Hic est* M. Tullius *cognomento* Laurea, Ciceronis *libertus, qui* Academiam *uillam uersibus, quos recitat* Plinius *libro* XXXI. *celebrauit.*

75.

MEO *seruo scriba,*] *Tollenda uidetur dictio, seruo, ut glossema ab imperito additum, qui putauit scribam* Ciceronis *esse seruum, cum libertus esset. quod perspiciuum est, cum* M. Tullius *appelletur.*

75.

QVA'M *scribæ meo*] *Vetusti libri habent, quàm darem. unus tamen est, et is quidem omnium fere optimus, in quo scriptum sit, quàm tibi. ego ita conijcio, cum olim in uetere libro scriptum esset, quàm* Tullio, *descriptores feciſse, quàm* Te; *ut una litera, quemadmodum etiam in titulis epistolarum,* Tullij *nomen significaret: quod imperitiores postea cum ignorarent, scripsisse, quàm tibi. ut fortasse ita sit legendum, cui potius id negotij, quàm* Tullio *darem. uoces illæ certe, scribæ meo, uetustis in libris non leguntur.*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

55:

LEGATVM meũ, præfectumq; Q. Leptam] Induxi has duas dictiones, Q. Leptam: primũ quòd in antiquo libro non sunt: deinde, quòd Ciceronẽ, si præfecti nomen ponere uoluisset, legati fuisse omissurum, uerisimile non est. postremo cur nomen ponat, cũ ad Messinium quæstorẽ suum scribat, qui et præfectũ, et alios, qui cum Cicerone in Cilicia fuissent, optime nouerat?

75:

VT tua, quam tu deposueras, Sextius.] Hæc est antiquissimi libri lectio, ex quo nihil immutandum. est autem sensus. quam ego pecuniam deposui, Põpeius abstulit; quã tu, Sextius. quod uero de tua, qua Sextius est usus, solicitus es, propterea quòd adscriptum cupe-res, à te iussu meo esse depositam: de hoc (inquit) quòd labores, nihil est: erit enim S. C. erunt tuæ literæ, quæ pecuniam istam Sextio traditam esse testabuntur.

76.

IN pecunia exacta ita efferre] Ex uarietate duorum exemplariũ hæc lectio sumpta est. cuius hic est sensus. Prouinciæ rationes Cicero retulerat. id eius quæstor Rufus se absente fieri noluerat: pecuniæ enim nescio quid à se in prouincia exactum in libro rationum scribi cupiebat, existimans, nisi id cum reliquis Ciceronis rationibus referretur, eius rei potestatem se deinceps non habiturum. quod ei fuisset inuidiæ, quasi publicam pecuniam uoluisset auertere. itaque commotus est. Cicero autem non esse ait, cur irascatur: nam licet ipse rationes iam retulerit, Rufo tamen facultatem non adimi de pecunia referendi, quam exegisset. in pecunia, in-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

quit, à te exacta non æquum fuit, ex eo quòd ego meas rationes retulerim ut ita te efferres, itaq; mecũ insoléter, & iracunde ageres: neque enim, cur id facias, causa ulla est: nisi quid me fallit: sũt enim alij peritiores.

76.

DELATOS esse] Magistratus è prouincia reuersi, post relatas rationes, eorum nomina ad ærarium deferebant, quorum opera reip. uideretur utilis fuisse. deferebant autem ex ijs, quos secum adduxerant. in quo erat ambitio quædam: nam ostendere uolebant, cohortem apud se fuisse hominum lectissimorum, qui beneficia in remp. contulissent. ideoq; dicebatur, deferre in beneficijs; quòd is, qui deferebat, quasi beneficium aliquod deferre uidebatur. hinc illud in oratione pro Archia, 187: In beneficijs ad ærarium delatus est à L. Lucullo prætore & consule. Et pro Balbo, 68. In prætura, in consulatu præfectum fabrum detulit. Quod autem infert, MOLESTE TVLI NON ILLA BENEFICIA TVAE POTIVS AMBITIONI RESERVATA ESSE, QVAM MEAE: ideo dicit, quia Rufus deferre et ipse uoluisset. ex quo apparet, deferendi ius & quæstores habuisse. quod etiam declaratur membro proxime subsequenti, DE CENTVRIONIBVS RES EST IN INTEGRO. quasi dicat, poteris deferre, si uoles: nam delati à me non sunt, quoniã hos quidem triginta diebus deferre lex non cogebat.

76.

EX prouincia decessemus] Vetusti libri omnes, decessimus, habent. nos una litera i in e commutata

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

deceſſemus, pro deceſſiſſemus, è ſenſu ſcripſimus.

Ex epiſtola ultima, 77.

COMMODA omnia] Melius ita opinor, quàm communia omnia. itaq; olim impreſſimus, ſecuti libros aliquot manuſcriptos, quorum unum ſane perantiquum Hieronymus Ferrarius habet.

77.

ETENIM cum eſſet] Alij, ut enim: quã lectionem nos non admodum probamus: particulæ enim, ut, quæ reſpondeat, uox non erit. ex libro igitur manuſcripto Bernardini Maffei, etenim, emendauimus.

Ex epiſtola V. libri VI. char. 82.

QVARE ad eam ſpem &c.] Inconſequens, & obſcura locutio. ex quo uereor, ne corrupte totus hic locus legatur. ac fieri tamen poteſt, ut ita ſcripſerit Cicero, & inciderit in uitium, quod Græci σολοικοφανὲς appellant. cuius generis nonnulla cum in reliquis eius ſcriptis, tum in libris maxime contra Verrem deprehenduntur: quæ Pedianus adnotauit.

Ex epiſtola I VII. 85.

MVLTA Deos uenerati] Nihil eſt, immutandũ, ut alij crediderunt: nam etiam alibi nomen pro aduerbio poſitũ eſt, ut, cum dicitur, multa peccas, & multa egeo. Cicero de natura Deorũ 8: pro Murena 138: Topicorum autem initio, cum (inquit) mihi, meisq; multa ſæpe cauiſſes. Gellius lib. XIII. cap. XXIII.

85.

ELATVM] Antea, latum: nos, elatum, meliorem, ut opinor, ſenſum ſecuti, quàm qui latum, ſcribunt. noſtram autem lectionem accepimus ex libro ma-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

nuſcripto Bernardini Maffei.

Ex epiſtola X. 87.

RECVPERES] Antea, receperis: nos, recuperes, aliquot iam annis emendauimus, & impreſſimus. liber uetuſtus ſcriptum habet, reciperes et in alijs etiam exemplaribus, i, literam pro, u, ſæpiſſime reperias.

Ex epiſtola XIX. 91:

SIMVL accepi] Vetuſtorum librorum hæc eſt lectio: cuius etiam Florentini meminerunt. & eſt ſimul, pro ſimul ac. cuius uocis ex ijs, qui ſoluta in oratione ſcripſerunt, exempla non afferam: (nam ſi quis erit, qui locum ubique deprauatum eſſe contendat, & pro ſimul, uel ſimul ac, uel ſimul atque, legendum dicat: quibus argumentis contra pugnabimus? ſed è poetis; in quibus eam uocem in aliam mutari carminis ratio non patitur. dixit igitur Virgilius libro Georgicorum IIII. Taygete ſimul os terris oſtendit honeſtum Pleias: & Lucretius libro I. Cui ſimul infula uirgineos circundata comptus, Ex utraque pari malarum parte profuſa eſt: & Horatius epiſtola X. libri I. uiuo, & regno, ſimul iſta reliqui. & Catullus non ſemel. quibus in locis, ſimul, dictum eſſe pro, ſimul ac, licet animaduertere.

Ex epiſtola XX. 92.

MVNERVM regionum] Aliquot iam annis ita impreſſimus, cum ex antiquiſſimis exemplaribus hæc lectio ſumpta eſſet. in quibuſdam tamen libris, regiorum: cuius uocis quæ poſſit eſſe ſententia, non intelligo. de muneribus autem regionum, id eſt, de ludis regionatim urbe tota edendis, Suetonius in Cæſare, II.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

92.

IN QVO *sit spes*] *Non uideo, cur quidquam mutari debeat: cum & ita legatur in libris uetustissimis, & sensus meo iudicio sit apprime commodus. nam cum dixisset, quod eo labore assequi uis, nullo modo assequere; intulit, aliquid uidebimus, in quo sit spes, id est, quod nos assecuturos sperare possimus. deinde illud: Aliter quidem, &c.*

Ex epistola I. *libri* VII. *char.* 94.

P. METIVS] *Hic est* P. Metius *cognomento* Tarpa, *qui ea, quæ in scena recitanda erant, prius iudicabat. eius meminit* Horatius *in epistola de arte poetica, & Satyra* X. *libri* I.

95.

HOMINI *politico*] *Vetustos libros, in quibus ita legatur, habet* Vbaldinus Bandinellus, Ioannes Scala, Hieronymus Ferrarius, Bernardinus Maffeus, Paulus Botus, *alij, quos non necesse est commemorare. itaque nihil muto.* 95:

FRVCTVM *ullum laboris expecto*] *Veteres omnes libri pro, expecto, habent ex his peto. alij legunt, ex his expecto. mihi nostra lectio magis probatur, ut quæ à ueteri scriptura minus recedat: nam & expecto, & exscribo, & exsupero, et alia huiusmodi cum, s, litera ueteres scribebant, ut ex antiquis monumentis licet cognoscere: uide* Quintilianum *lib.* I.

Ex epistola II. 96.

DE BVRSA] *Hic est* T. Plancus Bursa, *frater* L. Planci, *ad quem sunt epistolæ lib.* X. *accusatus est ambitus, & condemnatus à* Cicerone, *cui antea tri-*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

bunus pl. in cauſa Milonis *aduerſatus fuerat, & in concionibus magnam inuidiam concitarat. poſtea rerum potitus* Cæſar *eum, & omnes lege* Pompeia *damnatos reſtituit.* Dion, Pedianus, *& alij, in his autem epiſtolis* 131. 195.

Ex epiſtola III. 97.

OPTAREM, *multæ cauſæ*] Sic *antea. nos ex libris manuſcriptis uocem, cauſæ, ſuſtulimus, ut purior & elegantior ſit lectio.*

97:

ME VOLVISSE *etiá reliquis omnibus; poſtquam non potuerim, mihi ipſi finem feciſſe belli*] Hic *locus antea in omnibus impreſſis perperam diſtinctus ſenſum peruertebat.*

Ex epiſtola V. 98.

M. FVRIVM] *Varie legitur in libris manuſcriptis. alij,* M. Orfium, *impreſſerunt, arbitrati eum eſſe, de quo in epiſtola* XI. *libri* II. *ad* Q. *fratrem. quod mihi ſecus uidetur. ex hac enim epiſtola, qua* Trebatium *commendat, eum ante* Trebatium *iuiſſe ad* Cæſarem, *manifeſtum eſt. cum autem ad* Q. Fratrem *ſcribit, dicit ſe eas literas* M. Orfio *dediſſe, cum iam* Trebatius *in exercitu* Cæſaris *eſſet: quod in iiſdem literis poſtea ſignificat, cum inquit,* Trebatium *ut ualde ames, uehementer te rogo.*

98:

LEPTAE *legatum*] *Crederem legendum eſſe, leg.* III. *legatum, id eſt, legionis tertiæ legatum. forte emim librarius ſcripſerat, leg. t^a. pro legionis tertiæ: quod deinde is, qui legebat, cum non intelligeret, ex dua*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

bus dictionibus unam fecit, & scripsit, Leptæ.

98:

QVOD familiam ducit] Quod caput est, quod in eo summum est: ut referatur non ad Trebatium, sed ad id quod dicit, in iure ciuili singularis memoria, summa scientia. cum enim Trebatium à multis rebus laudasset; memoriam, & scientiam in iure ciuili cæterarum laudum, quibus Trebatius abundaret, quasi familiam dixit ducere: tralatione sumpta à rectoribus familiarū, quos domestici omnes ueluti duces sequūtur.

98:

PVTIDIVSCVLI] Paulo, quàm satis est, diligentiores. excusat enim se, quòd in Trebatio commendando plura uerba consumpserit, quàm Cæsaris humanitas patiatur. putidum autem appellat Cicero, in quo nimia diligentia reprehendi possit, ut de oratore lib. III. 146. nolo exprimi putidius, nolo obscurari diligentius. & de off. lib. I. 27. literæ neque expressæ, neque oppressæ, ne aut obscurum esset, aut nimis putidum. legitur autem in nonnullis manuscriptis libris, blandiusculi; sed in antiquioribus, quos secuti sumus, putidiusculi.

99:

DIDICISSE] Hoc dicit, quia Trebatius Cornelij auditor fuerat in iure ciuili. Digestorum lib. I. Titulo II.

Ex epistola IX. 99.

PROPTER eius occupationes nihil sum ausus scribere] In duobus uetustissimis libris non est uox illa occupationes; sed eius loco spatij aliquantum est relictum, ex quo credimus, à recentioribus, quorum

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

imperitia deprauati leguntur ueterum ſcriptorum libri, uocem, occupationes, eſſe repoſitam. nos, quid ea dictio, quam in exſcribendo librarius omiſit, ſignificare potuerit, aſſequi coniectura non poſſumus. græcam quidem deeſſe crediderim. id enim ueriſimilius eſt, quàm latinam, ut etiam alibi cognoſcitur in ipſius Ciceronis *ſcriptis, ubi græcum deſideratur exſcriptorum inſcitia, qui, cum id legere non poſſent, omittebant, relicto ſpatio, ut ab alijs aliquando reponeretur. in* Vbaldini *libro apparet ſpatium fuiſſe. quo in loco repoſita eſt uox, occupationes, non eiuſdem librarij manu.*

Ex *epiſtola* X. 100:

AVT CONSOLANDO, *aut conſilio, aut re iuuero*] Senarius integer è Terentij Heautontimorumeno *translatus in hunc locum. ſic enim in ea fabula, actu* I. *ſcena* I. *cum* Menedemo *loquens* Chremes *inducitur: iſtuc, quidquid eſt, fac me, ut ſciam:* Ne retice; ne uerere; crede inquam mihi: Aut conſolando, aut conſilio, aut re iuuero. Terentius *porro, ut opinor, à* Plauto *paucis immutatis accepit. apud quem in* Pſeudolo, *actu primo, ita loquitur* Pſeudolus *ſeruus,* Fac me certum, quid tibi ſit: iuuabo aut, re, aut opera, aut conſilio bono. Ex *epiſtola* XI. 100:

OMNIBVS, *unde petitur*] Debitoribus. *ita etiam de oratore libro* I. 98: *homo ex diſertorum numero poſtulabat, ut illi, unde peteretur, uetus atque uſitata exceptio daretur, cuius pecuniæ dies fuiſſet. apud iuriſconſultos frequens eſt locutio.*

Ex *epiſtola* XII. 101.

FIDVCIAE, INTER *bonos bene agier?*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

quis] Ita *legitur in libro manuſcripto. & ſane crediderim, non aliter hunc locum eſſe ſcribendum. etſi priorem lectionem conſeruarim. uoces enim illæ,* VT, & OPORTET, *quæ ſunt in impreſſis, additæ ſunt ab imperito, qui locutionem parum integram crederet; cum alibi à Cicerone iuriſconſultorum formulas ſine uerbo citari non animaduertiſſet, ut de off. lib.* III. *In fiducia, (inquit) inter bonos bene agier. uetuſti enim libri non habent,* VT. *& ibidem paulopoſt. cum dicitur, inter bonos bene agier, quidquam agi doloſe, aut malitioſe poteſt? in topicis etiam* 226 *: ubi eadem hæc uſurpantur uerba, manuſcripti libri ab impreſſa lectione diſſentientes, noſtram ſententiam confirmant, quam etiam Romæ doctiſſimis hominibus probaui.*

Ex epiſtola XIII. 102.

TREVIROS *uites, cenſeo: audio capitales eſſe.*] VT *unicuique, quod ſuum eſt, tribuamus,* Petri Bembi, *hominis et dignitate, & omnium uirtutum cognitione clariſſimi, epiſtolam, qua huius loci ſententiam diligentiſſime, et ornatiſſime expoſuit, adſcribemus. nō enim eos imitari placet, qui ex aliena induſtria ſibi laudem aucupantes, quæ ab alijs didicerunt, edunt pro ſuis.* Petrus Bembus Bernardino Sandro S. *Quod hodie mane quærenti tibi à me de illis* Ciceronis ad Trebatium *uerbis:* Treuiros *uites cenſeo: audio capitales eſſe: mallem, auro, argento ære eſſent: reſpondi, iocum eſſe et multiplicem, et feſtiuum: qui quidem iocus in antiquis et nummis, et ſcriptoribus deprehenderetur: itaque, quoniā eramus in uia, ut neque libros, neque nūmos haberemus, reieci te in alium diem: id, ne te diutius*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

torqueat, est eiusmodi, ut ioci causa, quod quidem Cicero ad illum scribens more suo fere semper facit: & Treuiri, & capitales in ambigui genere sint posita. nam cum uideatur monere illum, ut uitet Treuiros Galliæ populos, qui capitales, bellicosiq; sint: ludit cum in Treuirorum, tum in capitalium uerbo. erat enim Romæ magistratus, Triumuiri capitales, qui etiam Treuiri dicebantur. sed quoniam hoc ipsum Triumuirum nomen iterum in ambiguo poni poterat, cum essent etiam apud Romanos Triumuiri pecuniæ cudendæ: quos ita inscribebant, A. A. A. FF. hoc est, Auro, Argento, Aere Flando Feriundo; iocatur iterum in hoc uerbo, luditq; Cicero, ut mihi quidem uidetur, bellissime: addens, mallem Treuiros istos esse pecuniosos, quàm bellicosos; ut Cæsare eos uincente tu ditescere. itaque infert, mallem esse Treuiros auro, argento, ære; quàm scilicet capitales. Triumuiros autem Treuiros solitos dici, Liuius satis locuples esse testis potest. cuius sunt hæc in libro XL. Colonia Grauiscæ eo anno deducta est in agrum Etruscum, de Tarquiniensibus quondam captum. quina iugera agri data. Treuiri deduxerunt C. Calpurnius Piso, P. Claudius Pulcher, C. Terentius Hister. Quod uero Triumuiri pecuniæ sic, ut dixi, inscriberentur; est apud me nummus æreus perantiquus ita inscriptus, C. PLOTIVS III VIR A. A. A. FF. sunt et alij nummi aliorũ nominum, eiusdem tamen tituli; quos inspicies, cum uoles. Hæc ad te scripsi, cum domum rediissem, et nummos, ac librum sumpsissem, amore tui admonitus. Vale. Prid. idus. Iun. M. D. XXXIII.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Ex epistola XVI. 102:

NON NIMIS φιλοθεώρου] Aliter antea in omnibus impressis. nos, ut in nostro libro legitur, emendauimus, & impressimus septimum abhinc annum. iocàs enim, ut solet, dicit se Trebatium non reprehendere, quòd non nimis spectandi cupidus fuerit, id est, quòd in Britániam profectus non sit, ut essedarios spectaret. tacite autem ut ignauum, & pusilli animi subaccusat, qui Cæsarem in Britanniam sequi ad bellum noluerit.

102:

RESPONDERE] Negant, inquit, esse qui percontentur: cum homines te iureconsultum imperitum existiment. iocatur enim in uerbo respondere: quasi dicat: negant te habere, cui respondeas, cum s. nemo te consulat. Ex epistola XVIII. 103:

GRAECVLAM tibi misi cautionem chirographi mei] Puto sensum esse. commendaui te Cæsari literis græce scriptis. 104:

QVAM hæc scribere.] Suspicor mendum subesse. mihi enim perobscurus est sensus. & , ut libere dicam, quod sentio, legendum crederem, quàm exscribere, nulla propemodum mutatione facta. deprauationis enim origo, ut opinor, ea fuit. describendis libris sæpe duos præficimus, qui legat, & qui de legente excipiat, ut scilicet celerius, & certius id muneris conficiatur. cum autem is, qui legeret, protulisset, exscribere, credidit scriptor, ecscribere, dictum esse, itaque fecit in libro. alius deinde errorem, quem per imprudentiam commissum debuit tollere, temeritate auxit, una dictione in duas diuisa, priori duabus literis, quas falso desiderari

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

derari credidit, adscriptis, h, & a; ut legeretur, hæc, sensu fortasse commodo, sed, ut dixi, mihi perobscuro. quòd si legatur, exscribere, hoc dicet. uideo te parum diteſcere, cui charta deſit, in qua tuas formulas, aut aliud quidpiam exſcribas. ea enim ſi ſuppeditaret, nunquam profecto ad nos in palimpſeſto. infert enim, an hoc ſignificas, nihil fieri, frigere te, ne chartam quidem tibi ſuppeditare? dixit autem, quod delere malueris, quàm exſcribere, per iocum ſignificans, non habuiſſe Trebatium in quo exſcriberet id, quod delerat: itaque ſe mirari, quid fuerit in illa chartula, quaſi moleſte ferat id periiſſe: chartæ enim inopiam oſtendi, cum ſcribat in palimpſeſto. idem error in III. epiſtolam VIII. libri ad Atticum irrepſerat: ubi enim antea legebatur, faſces laureatos hæc ferre ex Italia, nemo non uidet legendum eſſe, ecferre.

104.

M. AEMILII Philemonis] Cum in libris manuſcriptis uarie legeretur: (quidam enim Meuilij, quidam Metilli habent) auſus ſum emendare M. Aemilij: procul enim dubio libertus fuit adoptatus in Romanam familiam, ut alij multi. cum autem Metriliorum mentionem nondum inuenerim; & uetuſtorum exemplarium uarietate, in quibus ueræ lectionis quaſi quædam ueſtigia cernuntur; & Pediani uerbis, qui eiuſdem (ut opinor) liberti meminit, adductus ſum, ut, M. Aemilij, corrigerem. libet autem ipſius Pediani locum recitare, ut ſtudioſis quærendi labor abſit. is igitur ita in argumento orationis pro Milone. Munatius Plancus tribunus pl. produxerat in concionem M. Aemilium Phi-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

lemonem, nouum hominem, libertum M. *Lepidi. ita tamen hoc ſentimus, ut, afferentibus alijs meliora, perlibenter de noſtra ſententia diſceſſuri ſimus.*

Ex epiſtola XX. 104:

DOCTOREM *tamen, lumenq́; deſiderant*] *Omnino in omnibus libris manuſcriptis, pro lumenq́;, legitur, unumq́;. ego tamen libentius legerim, uſumq́;, id eſt exercitationemq́;: ut dicat idem, quod ſupra, nullam artem literis ſine interprete, & ſine aliqua exercitatione percipi poſſe. ita enim, unius literulæ mutatione, apta in primis & perſpicua ſententia efficitur. Mouet omnino me, ut ſi quem alium, librorum ueterum auctoritas; neque tamen ita, ut non eos quoque ipſos interdum coniectura & ingenio modice adiuuandos putem. quæ autem nuper alij attulerunt, ad ueterem illam ſcripturam confirmandam, etiamq́; exemplo, ut ipſis uiſum eſt, ſimili comprobandam, leuiora ſunt, quàm ut aut me, aut quenquam, qui rem ipſam ex ueritate pendat, mouere debeant.*

Ex epiſtola XXI. 104:

RVFIO *mediusfidius tuus*] *Tuus, inquit, quòd eiuſdem eſſet gentis:* Rufio *enim* Trebatiorum *cognomen fuit. id ex lapide, qui* Romæ *eſt in porta* Latina: *ſic enim in eo ſcriptum legitur.* C. VIBIVS C.F. MACER, C. TREBATIVS RVFIO FACIVND. CVRAVERVNT.

105.

HABET *lucum*] *Sunt, qui, lucum, ideo male legi credant, quòd neque luci capax eſſet priuata domus; et luci, qui ſacri eſſent, non ſine ſcelere incidi poſ-*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ſent. nos exiſtimamus, lucum non intra parietes, ſed ante ædes Trebatij fuiſſe; neque Ciceronem impie conſuluiſſe, qui eum à Trebatio cædi uellet. quo modo enim recte, & ſine piaculo id fieri poſſit, docet M. Cato in primo de re ruſtica.

Ex epiſtola XXIIII. 105:

MANEAT Damaſippus in ſententia] Vt emat à me, quemadmodum dixit, quæ mihi non placuerint. eſt autem is, de quo Horatius Satyra III. libri II. Inſanit ueteres ſtatuas Damaſippus emendo.

Ex epiſtola XXV. 106:

CAPIVS, opinor, olim, Non omnibus dormio] Alias ita emendauimus, cum libri omnes non modo impreſſi, ſed etiam manuſcripti hoc in loco mendoſi legerentur. quidam enim Citius, quidam Cepio, alij aliter habebant. nos ex Feſto Pompeio locum reſtituimus; qui adagium, Non omnibus dormio, natum eſſe à Capio quodam ſcribit, qui Pararencho diceretur, quòd ſimularet dormientem, ut impunius uxor mœcharetur.

Ex epiſtola XXVI. 107.

VEREOR, ne in Catonem, Cato in nos] Hanc lectionem cum alij uetuſti libri habent, tum is, qui eſt apud Bernardinum Maffeum. ſenſus eſt. uereor, ne nos ſcribamus in Catonem, & eum noſtris ſcriptis laudemus: Cato autem laudatus exitio nobis ſit, Cæſare nos, quòd ipſius inimicum laudemus, male multante. quaſi dicat, uereor, ne Catonem extollamus, ipſi autem deprimamur. & dixit, in Catonem, (ſubaudi, ſcribere) id eſt in Catonis laudem, ut de oratore libro II. 141. & de natura Deorum libro I. 17. Alij malunt lege-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

re, Vereor ne in Catonium Cato nos, hoc ſenſu. uereor, ne Cato in Catonium, id eſt ſedem inferorum, nos trahat.

Ex epiſtola XXVIII. 108.

GALLO S. D.] Alij credunt, hunc eſſe M. Fabium Gallum, qui de coniuratione Catilinæ, quæ ab Allobrogibus acceperat, ad Ciceronem detulit. ſed eſt amiciſſimus meus, uir ſane his literis, quæ humaniores appellantur, inſtructus, ſed maximarum doctrinarum cognitione præſtantior, qui hunc potius exiſtimet eſſe P. Sextium, pro quo extat oratio, cui cognomen fuerit Gallo: fuiſſe enim hoc Sextiæ gentis cognomen, intelligitur ex oratione pro Milone, ubi ita ſcribit: Sacrarium, quod eſt in fundo T. Sextij Galli. Tribunatum autem plebis & petiſſe Sextium Ciceronis reſtituendi cauſa, et pro eius ſalute geſſiſſe, ex ipſius Ciceronis ſcriptis notiſſimum eſt. quod item de M. Fabio dici non poteſt: neque enim is, quo tempore Cicero exulauit, tribunus fuit: ne alijs quidem temporibus, quod ſciri poſſit. nam quod infra dixit, ſi falſa fuerũt, quæ tu ad me detuliſti: ſignificat ea, quæ Sextius, C. Antonij cõſulis quæſtor, ad Ciceronem conſulem de ipſo Antonio, conſule ſuo, detulit: ſic enim in oratione pro eodem Sextio habita. Quæſtor C. Antonij collegæ mei fuit forte, ſed ſocietate conſiliorum meus. impedior nonnullius officij, ut ego interpretor, religione, quo minus exponam, quanta ad me detulerit. Hæ rationes faciunt, ut amiciſſimi hominis ſententiæ libenter acquieſcam.

Ex epiſtola XXXI. 109:

SALVIS rebus] Potius, rep. nondum afflicta,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

quàm, ut quidam uolunt, ſine bonorum imminutione. ſic enim dixit etiam ad Sulpicium epiſtola I. libri IIII. Vtinam Serui ſaluis rebus colloqui potuiſſemus inter nos. & Philos. uol. I. I5. Deli fuiſſe permultos ſaluis rebus illis.

Ex epiſtola ultima, 110:

PENNIGERO, non armigero in corpore] non dubium eſt intelligi de auibus, quas Philoctetes configebat tardus celeres, ſtans uolantes. alij tamen, pinnigero maluerunt, contra Quintiliani ſententiam, qui pinnas de auibus dici non uult.

111.

ILLIS interioribus literis meis, quibus ſæpe uerecundiorem me in loquendo facis] Iandiu ſuſpicatus ſum, hunc locum eſſe deprauatum: neque enim, ſi ita legatur, ſenſus elici bonus poſſit. Hieronymus autem Ferrarius Corrigienſis arbitratur eſſe legendū, illis interioribus literis, eis, quibus ſæpe uerecundiorem me in loquendo facis. cuius ſententiæ nos facile acquieſcimus: ita enim & aptus colligetur ſenſus, et erit locutio ſanequam elegans, qua in ſuis ſcriptis ita frequenter Cicero eſt uſus, ut eius exempla huc afferre putidum prope ſit.

Ex epiſtola IIII. 113.

LENTVLI Cruris] Hic eſt, opinor, L. Lentulus Cruſcellus, qui anno ſequenti conſule fuit cum M. Marcello. puto autem illum & Cruris, et Cruſcelli cognomine indifferenter appellari ſolitum.

113:

NOSTRI equites] Cum in libro manuſcripto legeretur, equ. facile in eam opinionem deſcendi, ut,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

equites, legendum esse existimarem. nostri autem, inquit, quòd erat ipse ex ordine equestri, ut ex oratione, qua eum Cicero *defendit, cognoscitur.*

114.

RATIONE, *& insidijs usus uideretur in euitandis eorum consilijs*] *forte melius, ratione, & consilio usus uideretur in euitandis eorum insidijs.*

114.

LAELIOS] *Forte,* Lollios; *qui Cæsaris amici fuerunt, quemadmodum* Antonij: *nam* Lælij Pompeiani. *qua in opinione magis sum confirmatus, postquam in epistola* III. *libri* V. *ubi,* Lælium, *impressum erat, uetustissimos libros,* Lollium, *habere uidi.*

114.

MEA *porro comitia quem euentum sint habitura*] *Sic antea in omnibus impressis. nos uocem, comitia, sustulimus: quæ subintelligitur; ut etiam cum dixit,* Prætorijs *moræ quædam inciderunt.*

Ex *epistola* V. 115.

QVODAM *silice iam omnia*] *Liber uetustus* Ioannis Scalæ *sic habet, quodam omnia in* Sicilia: Bernardini Maffei, *Quodam uictilicra omnia: Qui est in* Medicea bibliotheca, *& qui apud* Vbaldinum Bandinellum, *Quodã incilicia omnia. uulgata lectio nõ est in libris manuscriptis. uidendum an ita legi possit, Quodam incili iam omnia. notũ autẽ, incile quid sit.*

Ex *epistola* VI. 115:

CONFECTA, *omnia fœda, et inhonesta sunt*] *Hoc in loco uetusti libri inter se discrepant. nos eum, quẽ habet* Ioãnes Scala, *ut minus deprauatũ secuti su-*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

mus: sic enim in eo legitur: confecta omnia fœda, & inhonesta sunt. ex quo adducti sumus, ut, una litera immutata, legeremus: confecta, omnia fœda, & inhonesta sunt. Post in Petri Bembi libro, confecta omnia, distincte scriptum animaduerti.

115:

TABERNARIIS] *Aquarum ius penes ædiles, & censores erat. itaque cum tabernarij publicas aquas in suum usum deducerent, Cœlius, qui tunc ædilitatem gerebat, ea de re cum tabernarijs & aquarijs pugnauit: concionem etiam de aquis scripsit, cuius meminit Frontinus libro II. de aquæ ductibus.*

116.

VIARIAM] *Dicit nescio quid Appianus de uijs à Curione instauratis: tamen, Vinariam, magis probarem, quàm Viariam: & post, Queis iubet ædiles metiri. ut hoc dicat: iubet ædiles legibus, quas ipse fert, uinum, & alimenta populo metiri. Annonianam legem et P. Clodius tulerat: de qua in oratione pro Sextio, & Asconius in Pisonem.*

Ex epistola VII. 116.

PAVLA Valeria] *Alij, an hæc Bruto nupserit, dubitare uidentur, propterea quòd libro XI. Pollam Bruti uxorem fuisse perspiciãt. ego nupsisse existimo, et eam ipsam esse, quæ libro XI. appellatur Polla: ut, quemadmodum ab aula olla, sic à Paula Polla dicta sit.*

116.

NONDVM retulerat] *Si ita legatur, subintelligi poterit, dotem. sed mihi non displicet amicissimi mei coniectura, qui ita legendum putat, mundum re-*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

tulerat. mundus autem muliebris qui sit, exponit Liuius lib. XXXIIII. munditiæ (inquit) ornatus, et cultus, fœminarum insignia sunt. hunc mundum muliebrem appellarunt maiores nostri.

Ex epistola VIII. 116:

M. TVCCIVM accusatorem suum etc.] Huius loci sensum, etsi obscurissimus est, tamen declarare conabimur. Reorum causæ ordine agebantur: nam quæ tempore prior fuerat, eius prior item locus erat. excipiebantur tamen eæ causæ, quæ cum causis iam iudicatis coniunctionem aliquã habebant, ut earum quasi appendices quædam uiderentur: eiusmodi enim causis, etiam si post multas alias delatæ essent; tamen primus locus erat constitutus. itaque in oratione pro Cluentio, Fabricium (inquit) reum statim fecit; utq; ei locus primus constitueretur, propter causæ coniunctionem, impetrauit. propter causæ coniunctionem, inquit, quòd Fabricij causa eadem erat, quæ Scamandri, qui antea condemnatus erat. & infra in eadem oratione: apud eosdem iudices reus est factus Oppianicus, cum is duobus præiudicijs iam damnatus esset. ab ijsdem autem iudicibus locus ei primus est constitutus. Hoc ideo factum est, quòd Oppianici causa coniunctionem habebat cum Fabricij, et Scamandri causa, quos iudices iam damnauerant. Excipiebantur etiam causæ de ui, quæ primo loco agebantur, reiectis alijs causis, quæ tempore priores fuerant. sic Milonis causa, quòd erat de ui, extra ordinem est acta. sic M. Cœlius, cum Atratini patrẽ de ambitu reum feciſſet, de ui postea accusatus, causam ipse prior dicere coactus est. sic etiam C. Sempronius

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

cum à M. Tuccio esset accusatus, & causam suam eo anno nollet agi, (forte quòd ex ijs, qui tunc iudices erãt, complures sibi infensos intelligeret) accusauit accusatorem suum lege Plotia de ui, eo consilio, ut, interposita extraordinaria causa, tempus tereretur: et suæ causæ iudicium, cum eius agendæ spatium nõ esset, in annum sequentem necessario reijceretur. Extraordinarius autem reus is dicebatur, cuius causa non ordine, ut aliæ causæ, sed primo loco semper ageretur: & inde extraordinaria causa, quæ statim ante omnes causas ageretur, ut cum erat de ui, uel coniunctionem habebat cum aliqua causa antea iudicata.

117.

LATERENSIS leges ignorans, pronunciauit quod singuli ordines iudicassent] Cum ex tribus ordinibus, qui res iudicabant, duo seruilium absoluissent, unus condemnasset, uniuersorum autem iudicum æquo numero sententiæ fuissent, Laterensis, qui ordines, nõ sententias respiceret, absolutum credidit, seq; eum in tabulas dixit absolutum relaturum. postea cum in lege reperisset, non ex ordinum numero, sed è iudicũ maiori parte uel absoluendos, uel condemnandos esse reos: non retulit, ut dixerat, in tabulas absolutum; ordinũ iudicia perscripsit. fusius autẽ explicabimus, propterea quòd obscurior est sensus, ita ut eum pauci uiderint, nemo certe ostenderit: non enim, in quo Laterensis prætor deceptus sit, animaduerterunt. quod nos pluribus uerbis, ut etiam tardiores intelligant, ostendemus. Iudicia penes tres ordines erant: qui quidem tres ordines ex senatoribus, equitibus, tribunis ærarijs constabant.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

fieri autem poterat, ut, quem duo ordines absoluissent, unus condemnasset, is tamen non absolutus, sed condemnatus iudicaretur, hoc modo. Eunt *in consilium senatores* XXVI. *equites* XXV. *tribuni ærarij* XXIIII. *ex senatoribus absoluunt reum* XIIII. *condemnant* XII. *ex equitibus absoluunt* XIII. *condẽnant* XII. *ex tribunis ærarijs absoluunt* IIII. *condemnant* XX. *si ex ordinum numero iudicaretur reus, absolutum appareret: quippe cum ex tribus ordinibus absoluerint duo, senatorius, & equester. cum autem lex, quod iudicum maior pars iudicarit, id ius ratum esse uelit: condemnatum reum, nemo est, quin uideat, cum sententias graues habuerit* XLIIII. *absolutorias* XXXI. *prætor autem* Laterensis *cum ex more pronunciare deberet, quot sententijs absolutus, quot esset condemnatus reus; leges ignorans, de numero iudicũ nihil, de ordinibus, quod singuli iudicassent, pronunciauit, ac se in tabulas absolutum dixit relaturum. postea cum, lege perspecta, erratum intelligeret; dubius animi, quid ageret; quòd neque contra legem, neque contra id, quod pronunciarat, uellet facere; neque absolutum, neque damnatum retulit: tantum ordinum iudicia perscripsit. ex quo paulo post infert* Cœlius: Sic *nunc neque absolutus, neque damnatus* Seruilius, *de repetundis saucius* Pilio *tradetur.*

117.

EMISSARIO *est factus.*] *In exemplari antiquo* Mediceæ *bibliothecæ, & in libro manuscripto* Petri Bembi Cardinalis, *&* Vbaldini Bandinelli *legitur, emissa rusticio factus. forte corrigendum, emissario* S.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Tetio factus: ut existimat amicissimus meus. Tetios autem & libertos, & amicos Claudiorum fuisse, è qua gente erat Appius, ostēdit Asconius, ubi in oratione pro Milone locum illū exponit: Hæc insidiata Pompeio est. quanquam ibi tantum de Damione Clodij liberto loquitur. sed Damionem Tetiæ gentis fuisse, ostēditur in ad Atticum 56. itaque hic Cœlius de Appio loquens, accusatus, inquit, est à quodam suorum Sexto Tetio. nam cum, Sextus, antiqui significare uolebant, uel Sex. scribebant, uel S.

117:

L. IVLIVS L. F. POM. Annalis] Villius, pro Iulius, reposuimus. nam Annales plebeij: & Iulij patricij. sic etiam in Liuio, ubi erat Iulius, correxit, & reposuit ingenio doctrinaq; excellens, summa mihi coniunctus amicitia Carolus Sigonius. POM. tribus Pomptina fuit. nam ex XXXV. tribubus, aliquam, ut inquit Pedianus, necesse erat, cuiuscunque esset ordinis, ciuis Romanus obtineret. is autem ostendebatur à prænomine suo, à nomine, (nomine autem familia significatur) à patris prænomine, à tribu, à cognomine, ut Philippica IX. Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia Rufus. Lemonia enim tribus est ablatiui casus: ut sit, ex Lemonia, ut inquit Asconius. in lapidibus autem antiquis fere semper, in libris aliquando prioribus tātummodo literis significari tribus animaduertas, ut in hoc S. C. ubi enim legitur, Pom. sciendum est, Pontinam intelligi: (nam & Pontina, & Pomptina in lapidibus antiquis, & uetustis libris scriptum est) ubi Pop. Popilliam: ubi Pup. Pupiniā: ubi An. Anienſem:

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

quod cum antea non esset exploratum, alij pro An. Capito, duabus uocibus coniunctis legebant Ancapito: Bernardinus autem Rutilius, qui nuper Venetijs obijt, in suis adnotationibus credidit, antiquas notas fuisse, quæ significarent, Atteij nepos. in quo quàm deceptus sit, non attinet dicere. si enim ab auo ostendendus aliquis erat, non ab eius nomine, sed à prænomine ostendebatur. sed incidit in errorem, quia tribum Anienſem non agnouit, quæ duabus modo literis, ut iam dixi, scripta fuerat. quæ me ratio mouit, ut ubi, Puphirrus, una tantum uoce antea legebatur, duabus in nostro libro scriberem, Pup. Hirrius, id est, Pupinia Hirrus: tribus enim ante cognomen ponebatur, ut etiam alibi licet uidere. quoniam autem hanc tribuum cognitionem non ita facilem esse perspicimus, (nam & Volaterranus, et Alexander, qui dies Geniales scripsit, & alij, quos non necesse est commemorare, parum uidentur in suis libris earum numerum, & nomina tenuisse) studiosis non fore prorsus inutile, aut iniucundum arbitramur, si quæ in hanc rationem dispersa in ueterum monumentis leguntur, coacta huc afferamus. Fuerunt igitur Romanæ tribus XXXV. quarum nomina infra scripsimus, & scriptores aliquot, qui de ijs meminerunt, apposuimus, ut inde facilior earum, ac certior unicuique cognitio sit.

AEMI. Aemilia. Cicero ad Atticum libro. II. 30: Liuius libro. XXXVIII. antiquæ urbis inscriptiones. 75:

ANI. Anienſis. Cicero pro Plancio. 270. epiſto-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

larum fam. lib. VIII. 117. *Liuius libro* X. *antiquæ urbis inscr.* 160: 175: *& in libro* Petri Appiani *de inscriptionibus antiquis totius orbis.* 93.

ARNIENSIS. *Cicero in agraria* II. *in* Rullum 81: *Liuius lib.* VI. *& lib.* XXIX. *ubi corrupte legi putamus* Narniensis. *nam lapis antiquus, quem* Vulsinijs *in templi parietibus uidimus, expressam* Arniensis *mentionem continet.*

CLA. *Claudia. Liuius lib.* II. *Virgilius lib.* VII. Dionysius Halic. *lib.* V. *antiquæ urb. ins.* 75: 84. 114. *liber* Appiani 479.

CLV. *Clustumina. Cicero pro* Plancio 267. *pro* Balbo. 76. *antiquæ urb.*

COL. *Collina.* Varro *lib.* IIII. *de lin.* L. Plinius *lib.* XVIII. *cap.* III. Festus *in litera* V. *antiquæ urb. inscr.* 27. 99. 120. *liber* Appiani 110.

COR. *Cornelia. Liuius lib.* XXXVIII. *antiquæ urb. inscr.* 29.

ESQ. *Esquilina.* Varro *lib.* IIII. *de l.* L. Plinius *lib.* XVIII. *cap.* III. Festus *in litera* V. *antiquæ urb. inscr.* 75. *est præterea in ædibus uiri optimi, ualdeq; eruditi,* Gentilis Delphinij Romani *fragmentum antiqui lapidis cum hac tribu; quod ipse quidē non uidi, sed is, cui facile credo, se uidisse dixit,* Honofrius Veronensis, *monachus ordinis Augustiniani, qui ordinem annorum urbis* Romæ *à* Romulo *ad* Iustinianum *peritissime descripsit.*

FAB. *Fabia.* Horatius *epistola* VI. *libri* I. Suetonius *in Augusto* 38. *antiquæ urb. inscr.* 61. 73. 76. 74. *et* Petri Appiani *lib,* 62. 66. 335. 343. 500.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

FAL. Falerina. Liuius lib. IX. in libro Appiani 105. 120. et Neapoli antiquus lapis est ita inscriptus: C. PISTORIO C. F. FAL. FIRMO AEDIL. IIVIR CVRATORI OPER. PVBLICOR. item Iosephus ἐν τῷ τῆς ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας λόγῳ ιγ. κεφαλῇ ιζ.

GAL. Galeria. Liuius lib. XXVII. Plinius lib. VII. cap. II. etsi, pro Galeria, legitur Galerius. sed corrigendus locus est ex antiquo libro auunculi mei Francisci Asulani. & antiquæ urb. inscr. 89. 142: 159: liber Appiani 14. 15. 18. 19. 21. 22.

LEM. Lemonia. Cicero pro Plancio 267. Philippica IX. 223: Festus in litera l. antiquæ urb. inscr. 91: 151:

MAEC. Mæcia. Hanc in antiquis lapidibus duobus inuenimus: C. OCTAVIO. C. F. MAE C. VERO: C. HERBACIO MAEC. ROMANO. in libris quinquies nominatam obseruauimus, à Tullio lib. IIII. ad Atticum 63. à Liuio libro XXIX. à Valerio Max. lib. II. cap. IIII. à Festo in litera m

MEN. Mentina. Cicero lib. XIII. epist. fam. Iosephus ἐν τῷ τῆς ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας λόγῳ ιγ κεφαλῇ ιζ. cum quibus lapides tres consentiunt: C. VALERIO C. F. MEN. DOLVTIO MARCIANO: A. MVNIO A. F. MEN. EVARISTO: C. CATIO C. F. MEN. BALBO C. CATIVS C.F. MEN. GALLVS.

OVF. Oufentina. Liuius lib. IX. Festus in litera

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Q. *antiquæ urb. inscr.* 86.133 *.in lib.* Appiani 27. 28. 30. 51. 63. 71. 79. 84. 85. 86. *& in libro* Veronensium *antiquitatum sic:* Q. EVPHEMVS Q. F. OVF. LVCVLLIVS.

PAL. Palatina. Cicero *in* Verrem IIII. 124: Pedianus 18: Varro *lib.* IIII. *de l.* L. Plinius *libro* XVIII. *cap.* III. Liuius *lib.* XX. Festus *in litera u. antiquæ urbis inscr.* 29. 34. 39: 62: 116. 155. 176. *liber* Appiani 17. 22. 34. 64.

PAP. Papiria. Festus *in litera p. antiquæ urb. inscr.* 72. 135.

PAPIA. Scriptum *in libris de hac tribu nihil est; quod ego quidem legerim. in libro tamen de antiquæ urbis inscriptionibus explicata mētio est* 61. *nec semel in* Pyrrhi *thesauris. sic enim eius libros appello.*

POB. Poblilia. *quæ deinde* Publilia *scripta est: sicuti ex* Poblius Publius *factus est. reperitur in lapidibus &* PV. *&* PVB. *&* PVBL. *et* PVBLIL. *&* POB. Liuius *libro* VII. *antiquæ urb. inscr.* 10. *liber* Appiani 252. *& in libro* Veronēsium *antiquitatum sæpe. exempla* Publiliæ, *per u scriptæ, quinque habemus, duo in antiquæ urbis inscriptionibus,* 66. 81. *tria in* Appiani *libro.* 65. 105. 352.

POL. Pollia. Liuius *lib.* XXIX. Valerius Max. *lib.* II. *cap.* IIII. *& lib.* IX. *cap.* X. *antiquæ urbis inscriptionibus.* 110. 113. 147: *liber* Appiani. 18.

POP. Popillia. Cicero *epist. fam. lib.* VIII. 117:

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Valerius Max. lib. VIII. Festus in litera p. liber Appiani 297.

POM. Pōptina. Cicero ad Atticum lib. IIII. 63. Liuius lib. VII. Festus in litera p. antiquæ urbis inscr. 114. 177. liber Appiani 141. 484.

PVP. Pupinia. Cicero ad Quintum fratrem lib. III. epist. fam. lib. VIII. 117: Liuius lib. XXVI. Festus in litera p. duo antiquorum lapidum exempla extant, alterum Capuæ, D. VIBIDI D. F. PVP. NIGRI: alterum Patauij, CLAVSIO C. F. PVP.

QVIR. Quirina. Cicero pro Quintio 4. epist. fam. lib. VIII. 117: Asconius 61. Festus in litera q. antiquæ urb. inscr. 15. 34. 44: 115. liber Appiani 14. 17. 18. 19. 103.

ROM. Romilia. Cicero in Verrem II. 70: & in agraria II. 18: Asconius 18: Varro lib. IIII. de L.L. Festus in litera r. Seruius in III. Aeneidos. antiquæ urb. inscr. 165: in libro Veronensium antiquitatum 51: L. GALLIO L. F. ROM. est etiam Ferrariæ semifractus lapis, in imis summi templi parietibus instratus, in quo ita scriptum uidimus. = ITIO T. F. ROM.

SAB. Sabatina. Liuius lib. VI. Festus in litera s. lapis antiquus Romæ in ædibus Cardinalis Carpensis: CN. CORNELIO CN. F. SAB. MVSAEO MANCIPI VIAE APPIE.

SCA. Scaptia. Liuius lib. VIII. Suetonius in Augusto 38. Festus in litera s. lapidis antiqui exemplū Romæ extat in regione Pantheonis: C. AVLIE-

LIVS

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

LIVS C. F. SCA. SEVERVS. *& item aliud*, C. GRANTANIVS SCAPTIA MACER.

SER. Sergia. *Asconius* 61. *antiquæ urb. inſ.* 61. 63 : 81 : 165. *eſt & in eodem libro* 63 : *quatuor literis* SERG.

STEL. Stellatina. *Liuius lib.* VI. *antiquæ urb. inſ.* 110. *& duabus literis* ST. 239.

SVB. Suburana. *Varro lib.* IIII. *de l. L. Cicero etiáin agraria* II. *quo in loco uidetur corrupte legi, ab* Ocriculana : *cũ in libris quinque manuſcriptis, quos ſe uidiſſe affirmauit, uir optimus, ac doctiſſimus,* Gabriel Phaernus, *legatur, ab uſura nam. unde mihi orta coniectura eſt, quam* Phaernus *ipſe & Octauius meus probarunt, legi poſſe,* A Suburana, *mutatione fere nulla.* Plinius *lib.* XVIII. *cap.* III. Feſtus *in litera s. & litera u. antiquæ urb. inſcr.* 147.

TER. Terentina. Cicero *pro* Plancio 263. *epiſt. fam. lib.* VIII. 117 : Liuius *lib.* VI. *& lib.* X. *antiquæ urb. inſ.* 140. 199. *liber* Appiani 105. 336.

TRO. Tromentina. Feſtus *in litera t.* Liuius *etiam libro* VI. *ſcripſit,* Tromentina, *ut opinor, non, ut impreſſum eſt,* Promentina. *antiquæ urb. inſ.* 107: *liber* Appiani 16. 177. *et in lapide, qui* Caietæ *eſt,* L. ATILLIO L. F. TROMEN.

VEL. Velina. Cicero *ad* Atticum *lib.* IIII. 63. *in* Bruto. Horatius *epiſtola* VI. *libri* I. Perſius. *antiquæ urb. inſ.* 162. *liber* Appiani 19.

VOL. Voltinia. Cicero *pro* Plancio 267. *antiquæ*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

urb. inſ. 155. *&* *in antiquo lapide, qui eſt* Venetijs *in turri* S. Vitalis, CN. NVMERIVS CN. F. VOL. FRONTO. *eſt &* *quatuor literis* VOLT. *in* Appiani *libro* 484.

Hæ *ſunt* XXXV. *tribus, in quas urbs diſpertita erat. ex hoc autem numero quatuor tantum urbanæ fuerunt,* Palatina, Eſquilina, Collina, Suburana, *in quas, ut inquit* Plinius, *transferri ignominiæ eſſet, dictæ à partibus urbis, in queis habitabant. reliquæ omnes ruſticæ, laudatiſſimæ, eorum, qui rura haberent: quæ propriæ ingenuorum erant; cum urbanæ libertinorum eſſent, ut in* Aſconio 92: *&* *in epitomes* Liuianæ *lib.* XX. Aſconium *autem, ubi in* III. *oratione in* Verrem *illud exponit,* V. ET XXX. TRIBVS, *cur de nominibus* Sabinarum *plures tribus eſſe factas dixerit, mirari non ſatis poſſum; cum à* Sabinis *non tribus, ſed curiæ nomina acceperint, ut inquit* Liuius *lib.* I. *&* Sex. Pompeius *de uerborum ſignificatione libro* III. *tribus autem unde dictæ ſunt, uel ex eodem* Pompeio, *uel ex alijs facile eſt cognoſcere.* Vrbem Romam *in* XXX. *curias à* Romulo, *à* Seruio *autem* Tullio, *qui multis annis poſt* Romulum *regnauit, in* IIII. *tantum tribus diuiſam eſſe conſtat; quæ* XXXI. *numerum expleuere.* Dionyſius *autem* Halyc. *lib.* II. *in* III. *partes multitudinem omnem, ac trium rurſus earum partium in denas partes unamquanque à* Romulo *diuiſam eſſe ſcribit: uocatas autem partes maiores, tribus; minores, curias.* M. *item* Varro *libro* IIII. *de lingua lat. agrum* Romanum *in* III. *partes, unde tribus appellata ſit, diuiſum*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

fuisse scribit. ex quibus exemplis manifestum est, & tribus à curijs diuersas fuisse, & à Sabinis mulieribus non tribus, quæ Romuli ætate III. modo fuerunt, sed curias esse nominatas. Illud multo magis animaduertendum, diligenterq; considerandum censeo, cur in epitomes Liuianæ lib. XIX. duas tribus multis post exactos reges annis adiectas esse scriptum sit, Velinam, & Esquilinam: cum Esquilina ex IIII. tribubus una fuisset, in quas Ser. Tullius urbem diuiserat. libro etiam VI. Liuius ita scribit: Tribus IIII. ex nouis ciuibus additæ, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Narnienſis: eæq; XXXV. numerum expleuere. post autem libro VII. duas tribus ait additas esse, Pontinam, & Publiciam, et duas item libro IX. Oufentinam, & Falerinam: ut uideatur à se ipso dissentire: nisi si, additas, & adiectas, pro auctas, (ut quidem ego accipio) dictum uelis. Quæ de tribubus diceremus, hæc habuimus. Vbi autem scripsimus, antiq. librum, qui Romæ olim est impressus, cui titulus est, antiquæ urbis epigrammata, significauimus. chartarum autem eiusdem libri numerum subiecimus, ut facilius, quæ uolumus, reperiri possint.

117.

AD EX cal. Mart.] Forte, ex ad cal. Mart. id est, ex cal. Mart. quod paulo post ostendit. usus est hoc loquendi modo & M. Varro libro I. de re rustica. etsi libri omnes impressi eo loco deprauati leguntur. ubi enim est, extant ad VII. idus Feb. extant ad VII. idus Maij. extant ad III. idus Sept. extant ad III. id. Nou. manuscriptum exemplar habet, ex ad VII.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

id. Feb. ex ad VII. id. Mai. ex ad III. id. Sext. ex ad III. id. Nou. itaq; legendum est. significat enim, ex eo die, qui dicitur, ad VII. idus: & ex eo die, qui, ad III. similiq; locutione usus est ad Atticum 47: Nuncij nobis tristes nec uarij uenerant ex ante diē non. Iun. quod idem est ac si dixisset, ex nonis Iunij, ut supra ostendimus. Illud est animaduertendum, ubi in impressis libris legitur, ad IIII. cal. ad VI. id. ad III. non. & similia, plerunque in uetustioribus libris pro ad, legi, a. d. quæ notæ significant ante diem. quod imperiti descriptores cum ignorarent, pro a. d. scripserunt ad.

117.

QVI eorum in CCC. iudicibus essent] Populus Cæsari fauebat, Pompeio senatus. & quoniam eorum, qui iudices erant, magni interesset populum non habere aduersarium; quia populi ius erat primum in deligendis iudicibus, deinde in eisdem iudicibus ad quæstionem uocandis: itaque in oratione pro Cluentio, Populus, inquit, L. Iunium iudicem quæstionis, in inuidiam uocatum, condemnauit; ut non iniuria omnes iudices à populo timerent: ex quo sequebatur, ut contra populi uoluntatem non admodum libere iudicarent: ideo recte factum est S. C. ut qui senatores in trecentis iudicibus essent, ij excluderentur, cum in senatu de successione prouinciarum ageretur. aperte enim uniuersa illa actio hoc significat, Cæsarem ex prouincia reuocandum, contra quàm populus decreuerat: qui nō modo imperium Galliarum Cæsari ad decem annos prorogauerat, sed etim hoc decreuerat, ut in petitione consula-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

tus abſentis ratio haberetur. unde illud 83. Ipſo conſule pugnante populus iuſſerat. & Suetonius, & omnes hiſtorici. de CCC. autem iudicibus ex ordine ſenatorio, Plutarchus in C. Graccho. Quod autem in noſtro libro imprimi uoluimus, eos adducere: fecimus id omnium antiquorum librorum auctoritate commoti. nam, quod in impreſſis legitur, ſex; cum ex cõiectura ortum eſt, tum ſententiam, ut ego arbitror, ſatis abſurdam habet. quòd ſi permittitur, ut diuinemus: malim, eos, quàm, ſex: tum quia non diſcrepat ab eo, quod Cicero intellexit: tum etiam quia locutio eſt antiquitatem redolens: cuius exemplum ibidem eſt infra.

Ex epiſtola IX. 119.

CVRIONEM prorſus non mediocriter obiurgatus. hac repulſa ſe mutauit] Obiurgatus, uidetur hic eſſe uerbum deponens. quod alibi non memini me legiſſe. itaque libentius ita legerim, Curionem prorſus non mediocriter obiurgat. s. hac repulſa ſe mutauit. ut una litera s ſignificetur ſcilicet.

119:

SOLES libenter, ut ego, maiorem partem nihil curare] Locus ita interpungendus. & eſt antiqua locutio, qua etiam uſus eſt 134: epiſtola ad Pætum libri IX. decimaquinta. intellexi tamen, inquit, idem, quod his intelligo literis, non exiſtimaſſe te mihi licere, res has non omnino quidem, ſed magnam partem relinquere. & alibi ſæpius. Cæſar autem initio libri IIII. de bello Gallico, Magnam partem lacte, atque pecore uiuunt. et Lucretius libro III. charta 40. hæc uulnera uitæ Non minimam partem mortis formidine aluntur.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

119.

AGROS, *quos fructuarios habent ciuitates*] *Ita legitur in duobus libris manuscriptis* Ioannis Scalæ, *& in libro* Petri Bembi. *itaque nihil muto, cum sit aperta sententia.*

Ex epistola XI. *char.* 121:

DECRERANT *qui inique transigi uolebant*] *Manuscripti libri, quidam, deerant; alij, deserant; alij aliter habent. ex tam uaria lectione adducti sumus, ut, decrerant, legendum crederemus. loci autem sensus hic est.* Domitius, *&* Scipio, *cum de* Ciceronis *supplicationibus transigi, moleste, & inique ferrrent, easq; Curionis tribuni pl. intercessione impediri cuperent: simulatione beneuolentiæ supplicationes* Ciceroni *decreuerũt, ut ea re* Curionem, *qui omnibus eorum actionibus acriter aduersari solitus erat, ad interdicendum elicerent. quibus interpellantibus uenustissime* Curio *respondit, se eo libentius non intercedere, quòd quosdam, qui decernerent, (significabat autem* Domitium, *et* Scipionem) *eo animo esse intelligeret, ut confici minime uellent. &,* DECRERANT *imminutum, dixit, ut* Decresset, *in* Verrem *lib.* V.

Ex epistola XII. 122.

VIX HOC *erat* Pola *elocutus*] *In uetusto libro, qui est* Florentiæ *in* Medicea *bibliotheca, ita legitur, ut in impressis. huius lectionis alij quoque meminerunt. sed eam minus integram existimarunt, offensi, ut opinor, in uoce,* Pola, *quòd eam se alibi uidisse non meminerant. est autem id* Seruij *accusatoris cognomen, de quo ad* Q. *fratrem epistola penultima* II. *libri, his*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

uerbis: Vereor, ne homo teter, & ferus Pola Seruius ad accusationem ueniat. uix igitur (inquit Cœlius) hoc elocutus erat Pola, Appium scilicet, & Domitium summis circensibus ludis meis lege Scantinia me postulandum curare; cum ego eadem lege Appium censorem postulaui.

122:

COEPI sacellum, in domo quod est, ab eo petere] Censorum erat curare, ut sacella non in domo cuiusquam essent, sed populo paterent. itaque Liuius libro XL. ubi loquitur de Lepido & Fuluio censoribus, Complura, inquit, sacella, publicaq; sacra occupata à priuatis, ut paterent, essentq; populo, curarunt. Cœlius autem, ut ostenderet, Appium censorem officio suo deesse, petere cœpit ab eo, ut sacellum in domo priuata ne relinqueretur: cuius rei cura Appij, qui censor erat, esse debuerat. sed libentius intellexerim de sacello, quod ipse Appius occupasset: ex quo grauior ei concitata esset inuidia, occupatis rebus à censore, quas censor ab alijs occupatas populo restituere deberet.

Ex epistola XIII. 122:

STOMACHO est scilicet Pompeius Magnus] Libentius legerem, Stomacho est Magnus, ut duæ illæ dictiones, scilicet Pompeius, inducantur, tanquam inanes, et superuacaneæ, non à Cœlio, sed ab imperito scriptæ; qui cum inter legendum in eam uocem, Magnus, incidisset, existimans eam obscuriorem fore, nisi alijs ipse uerbis illustrasset, supra scripsit, scilicet Pompeius. postea qui librum exscripserunt, imperiti, ut id genus ho-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

minum esse solet, neque, quod adulterinum fuit, agnoscentes, glossema ad uerba Ciceronis admiscuerunt.

Ex epistola XIIII. 123:

DE AGRI modo, de ære alieno] Libentius ita lego, quàm, ut alij, de agris modo. forte autem id fieri uolebat Appius, quod maiorum memoria uoluerant C. Licinius, & L. Sextius tribuni pl. qui leges promulgarunt, unam de ære alieno, ut deducto de capite quod usuris pernumeratum esset, id, quod supereſſet, triennio æquis portionibus persolueretur: alteram de modo agrorum, ne quis plus XL iugera agri possideret.

Ex epistola XV. 124:

QVANTVM ipse catenatus] Legit amicissimus meus, quantum Psecade natus: ut significetur Bellienus uerna: Psecas enim ancilla est: uernas autem eos esse, qui ancillis nascantur, nemo nescit. itaque dixit: si Bellienus ancilla natus Domitium comprehendere, & strangulare non dubitauit: quid Cæsari, qui est Venere prognatus, in uestro Domitio faciundum fuit? Hæc amicissimi hominis lectio, non dubito, quin à doctis probetur: cum & sensum habeat optimum, & à uetusto libro parum, ac pene nihil discrepet. De Psecade meminerunt Iuuenalis satyra VI. & Ouidius metamorphoseon lib. III. Cum hæc iam scripsissem, liber est allatus ad me perantiquus, in quo ita scriptum erat, quantum ipsecadenatus. posteáq; etiam in libro Petri Bembi scriptum animaduerti, ipse cadenatus: itemq; in alio, quem Cypro aduectum chirurgus mihi quidam commodauit. Itaque cum hanc lectionem & antithetorum gratia commendet;

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

(nam Cœlius Cœliano illo ſuo more, hoc eſt, perargute, Pſecade natus, & Venere prognatus, oppoſuit) & ueterum librorum confirmet auctoritas; non eſt, quod quiſquam de illius integritate dubitare amplius debeat. Qua in ſententia eo magis confirmor, quòd eam ſummo conſenſu eorum omnium, qui de literis optime iudicant, quibuſq; ego plurimum tribuo, comprobari animaduerto. Vtinamq; amiciſſimo illi meo tantum eſſet à grauioribus ſtudijs ocij, ut ſimilia multa excogitare, aut ea potius, quæ iampridem in hoc genere innumerabilia notata habet, commodo ſuo colligere, & cum ſtudioſis communicare poſſet. ſperarem fore, ut, ueterum ſcriptis magna ex parte integritati ſuæ reſtitutis, multorum, qui nunc ſeſe inani labore torquentes, nihil approbare, niſi quod ipſi pepererint, queunt, ſuperuacanea opera uideretur.

Ex epiſtola V. libri IX. 128.

CONSILII noſtri, neſi eos quidem, qui id ſecuti non ſunt, non pœniteret, nobis p. p.] Vetuſti libri ſic habent omnes: tantum in eo differũt, quòd, ubi nos, neſi, ſcripſimus, habent, niſi. quam uocem non temere immutauimus: qui enim aliter fuiſſet abſurdiſſimus, is nunc, ut mihi quidem uidetur, aptiſſimus eſt ſenſus, quem pluribus uerbis oſtendemus: ut, ſi quis eum probabit, (probabit autem, niſi fallor, quicunque recte iudicat) acceptam referat huius loci emendationem diligentiæ, atque iudicio Hieronymi Ferrarij, præſtantiſſimi iuuenis, qui reſtituendæ antiquitatis ſtudio quodam adductus incredibili, quotidie fere præclarum aliquid in literis à ſe aut animaduerſum, aut ex-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

cogitatum, ultro ad me defert, ut id aliquando meis typis in communem ſtudioſorum utilitatem diuulgetur. ſed ad rem. Conſilij (inquit) noſtri, quòd & Pompeium in bellum ſecuti ſimus, &, eo in Pharſalia ſuperato, victori nos crediderimus; ne tum quidem nobis pœnitendum putarem, ſi eos, qui minus id ſecuti ſunt, nō pœniteret. ſignificat enim, qui ſecus fecerint, eos iam pœnituiſſe. quos ſi non pœniteret, ego tamen (inquit) nobis pœnitendum non putarem.

Ex epiſtola XV. 131.

INTELLEXI pergratam tibi eſſe curam meam ualetudinis tuæ] Hunc locum ex libris manuſcriptis reſtituimus.

134:

AD ſcribendum:] quid, ſi, ADF. SCRIB. ut ſit, adfuiſſe ſcribendo? quo modo et alibi locutus eſt, cum eos ſignificaret, qui ſcribendo ſenatus conſulto affuerant.

Ex epiſtola XVI. char. 136:

TV autem quòd mihi bonam copiam eiures, nihil eſt] Hieronymus Ferrarius, iuuenis ſubtiliſſimi iudicij, legendum arbitratur, bonam copiam iures, hoc ſenſu: non eſt, quod te mihi ſemper præſto fore, tuisq; bonam copiam facturum eſſe iures. ut reſpexerit ad id, quod M. Varro ſcribit libro VI. de lingua Latina: Debitores nonnulli pro pecunia, quam debebant, operas in ſeruitutem dabant, dum ſoluerent. id Sylla dictator ſuſtulit: uoluitq;, ut ij bonam copiam iurarent, id eſt, ut, ſui facultatem creditoribus ſemper eſſe facturos, iureiurando promitterent. Ferrarius ſic accipiebat.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ego autem puto hic dictum esse, quòd mihi bonam copiam eiures, pro quòd iures mihi, te non habere unde sumptum facias. tantumq; abest, ut ex Varrone Ciceronis locum emendem, ut potius ex Cicerone Varronis locum putem esse corrigendum: ut legatur, uoluitq;, ut ij bonam copiam eiurarent: id est, ut iurarent, se nō habere unde creditoribus satisfacerent. hoc multis argumentis probare non conabor. recitabo locum Sex. Pompeij, qui nostram sententiam ita confirmat, ut dubitatio prorsus nulla relinquatur. Eiuratio, inquit lib. V. significat, id, quod desideretur, non posse præstari. Plautus, Eiurauit militiam.

136:

AESTIMATIONEM te aliquam putes accipere:] Alluſit ad æſtimationem poſſeſſionum, quam Cæſar per arbitros debitorum cauſa fieri uoluerat, ut ij creditoribus facilius ſatisfacerent. qua de re initio libri III. de bellis ciuilibus, his uerbis. Cum fides tota Italia eſſet anguſtior, neque creditæ pecuniæ ſoluerentur, conſtituit, ut arbitri darentur; per eos fierent æſtimationes poſſeſſionum, & rerum, quanti quæque earum ante bellum fuiſſent, atque eæ creditoribus traderentur. hoc & ad timorem nouarum tabularum tollendum, minuendum'ue, qui fere bella, et ciuiles diſſenſiones ſequi conſueuit, & ad debitorum tuendam exiſtimationem eſſe aptiſſimum exiſtimauit. Suetonius etiam in Cæſare, De pecunijs, inquit, mutuis, diſiecta nouarum tabularum expectatione, quæ crebro mouebatur, decreuit tandem, ut debitores creditoribus ſatisfacerent per æſtimationem poſſeſſionum,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

quanti quaſque ante ciuile bellum comparaſſent, deducta ſumma æris alieni, ſi quid uſuræ nomine numeratum, aut perſcriptum fuiſſet. qua conditione quarta pars fere debiti deperibat. Cum igitur Papirius ex eo Cæſaris decreto magnam à debitoribus plagam accepiſſet, æſtimatis eorum poſſeſſionibus, non quanti uenire tunc poſſent, ſed quanti ante ciuile bellum fuiſſent: iocans, ut ſolet, Cicero, Ne credas, inquit, cum me hoſpitio recipias, æſtimationem te aliquã accepturum. & dixit, æſtimationem aliquam, tanquam ſi, magnum aliquod damnum, dixiſſet. Papirius enim æſtimationes, id eſt prædia, per arbitros inique æſtimata à debitoribus accipiens, crediti iacturam non minimam fecerat. deinde ſequitur, Etiam hæc leuior eſt plaga ab amico, quàm à debitore, hoc eſt, & tamen, quòd ab amico bona tua comedantur, non id tibi æque graue eſſe debet, atque illud eſt, quod debitorum cauſa deperdis: à quibus poſſeſſiones, quanti uendere nunquam poteris, accipiendæ tibi ſunt.

Ex epiſtola XVII. 137.

NON modo me] Libri omnes uetuſti hanc lectionem habent; quam, ut incorruptã, ſecuti ſumus. qui autem ea ſunt offenſi, ex ingenio particulam, non, interiecerunt. uide quæ diximus in illum locum epiſtolæ penultimæ libri I. Non modo præmijs, ſed ne periculis quidem.

Ex epiſtola XVIII. 138.

AESTIMATIONES tuas uendere nõ potes] Hunc locum qui recte interpretaretur, neminem uideo fuiſſe. ſignificat autem poſſeſſiones per æſtimationem à

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

debitoribus acceptas. & , quemadmodum ſupra, poſuit æſtimationes pro rebus æſtimatis.

Ex epiſtola X X. 138.

NEC *tamen ad hanc inſolentiam*] *Alij mendum eſſe in uoce, inſolentiam, exiſtimarunt. ego inſolentiã pro nimijs ſumptibus, qui s. fiebant in cœnas, accipio: à quibus ſe alienum eſſe dicit; lautitiam tantum quærere. quod etiam ſupra, epiſtola huius libri* X V I. *his uerbis oſtendit:* Nec *tamen eas cœnas quæro, ut magnæ reliquiæ fiant. quod erit, magnificum ſit, et lautum. inſolentiam eodem ſenſu poſuit* Philippica I X. 223. *magnifice enim, inquit,* Ser. Sulpicius *maiorum continentiam diligebat, huius ſeculi inſolentiam uituperabat. et in oratione pro* Sex. Roſcio, 22. *Qui in ſua re fuiſſet egentiſſimus, erat, ut fit, inſolens in aliena.*

138:

CVM *in ſumptum habebas*] *Vetuſtiorum librorum hæc eſt lectio: quam alij quoque receperunt, licet eam (ut ipſi dixerunt) mendoſam ſuſpicati. mihi ea uel maxime probatur, ut deſiderari nihil credam. dixit autem, cum in ſumptũ habebas, pro eo quod dicimus, cum ad ſumptum copiæ ſuppetebant, cum pro ſumptu facultates erant; cum erat tibi, quod eſſet in ſumptum ſatis. ſic enim hoc loco, in ſumptum, id eſt, pro ſumptu, dixit, quemadmodum etiam ad* Atticum *epiſtola* V. *libri* V I I I. Tironem Curio *commẽdes, ut ei, ſi quid opus erit, in ſumptum eroget. epiſtola etiam, quæ ſequitur, eodem libro, ſed eum, inquit, uideo in ſumptum ab alijs mutuatum. & ad eundem libro* X V. *uelim cures, ut permutetur* Athenas, *quod ſit in an-*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

num ſumptum. imitamur igitur lautitiam tuam, inquit; illam ueterem, cum habebas in ſumptum: etſi nunc quidem plura prædia tibi ſunt: quæ ſcilicet à debitoribus pro pecunia, quam credideras, inuitus accepiſti, æſtimata ex edicto Cæſaris, quanti quæque ante ciuile bellum fuiſſent. hæc enim quaſi per iocum dicta ſunt; ut irrideatur Pætus, qui non habeat in ſumptum, ut antea; cum ei poſſeſſiones multo, quàm antea, plures ſint.

Ex epiſtola XXI. 139.

ILLVD à Trabea,] Cum Papirius oſtendere uellet Ciceroni, ſe fruſtra ipſius ſtylum imitari, Trabeæ poetæ uerbis id oſtenderat. quod reijcit Cicero, ac potius ſibi illud ipſum à Trabea opus eſſe affirmat. nã cum Papirius non ſolum conſequatur, ſed etiam uincat: ſuum eſſe, fruſtra conari, affirmat. ἀπότυγμα igitur meum, ſubaudi, eſt. tu enim omnia, quæ uis, conſequeris: quod ego non poſſum: itaque ἀπότυγμα meum eſt, non tuum.

Ex epiſtola XXII. 104.

PER uim uiolat] Antiqui, uiolauit uirginem, pro, uitiauit; & cum muliere fuit, pro, concubuit, modeſte dicebant. auctor M. Varro libro V. de lingua Latina.

140.

PENICVLVS] In omnibus fere manuſcriptis libris ita legitur. cuncti tamen impreſſi, penicillus, habent: quam lectionem ab ijs repoſitam exiſtimo, qui, quid periculus ſignificaret, non intellexerũt. quæ quidem uox à Sex. Pompeio libro XIIII. bis exponitur.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Peniculi (inquit) ſpongiæ longæ propter ſimilitudinem caudarum appellatæ: penes enim uocabantur caudæ. & inferius. Penem caudam uocabant. hinc peniculos diximus, quibus calceamenta terguntur. ex quo uel maxime uetuſti libri lectio comprobatur: eundem enim ſenſum S. Pompeius iiſdem uerbis, quibus Cicero, cõplexus eſt. Plautus quoque in Menæchmis, actu I. Iuuentus (inquit ſub perſona paraſiti) nomen fecit Peniculo mihi, Ideo quia menſam, quando edo, detergeo. ut eius uocis ſignificatio obſcura iam eſſe non poſſit. hunc autem locum ingenioſiſſimo, atque eruditiſſimo iuueni Hieronymo Ferrario debemus.

Ex epiſtola penultima, 142.

NVNC ades ad imperandum, uel ad parendum potius: ſic enim antiqui loquebantur.] Difficilis locus: qui me diu ualde torſit. interpretes enim omnes, alij eum, ut ſcopulum, euitarunt. alij, dum uideri uolunt intelligere quod minime omnium intelligunt, ineptiarum neſcio quid attulerunt, quod rideri magis, quàm refelli, debeat. comperi igitur, locutionem eſſe ueterem, & antiquis uſitatam: licet eius non multa habeamus exempla: quibus enim in ſcriptis ueteres illi dicendi modi frequentius potuiſſent deprehendi, ea ferme omnia deperierunt, itaque ex unius Salluſtij uerbis locus hic ad Pætum exponitur. facile enim colligitur, antiquos, ad imperandum, paſſiue dicere ſolitos, ut etiá Cicero ipſe exponit. ſed ponamus Salluſtij uerba, quæ ſunt in Iugurthino, 52: Iugurtha, inquit, ubi armis, uiriſq; , & pecunia ſpoliatus eſt: cum ipſe ad imperandum Tiſdrum uocaretur, rurſus cœpit flectere animũ

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ſuum, & ex mala conſcientia digna timere. ad imperandum, dixit, id eſt ad parendum, & ad imperata facienda: quemadmodum Cicero, ades ad imperandū, pro ades, ut ego tibi imperem. Hunc loquendi modum et Seruius agnouit in illo bucolicorum uerſu apud Virgilium, Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. Cantando, inquit, dum incantatur.

Ex epiſtola ultima, 142.

HARVM exemplum] Cum Cicero apud Volumnium Eutrapelum cœnaret, hanc epiſtolam ad Papirium in codicillis conſcripſerat, eo conſilio, ut, cum domum rediſſet, eam in charta exſcriberet, & ad Papirium mitteret. propterea harum exemplum dixit: nō enim in animo habebat, eas ipſas mittere, quas ſcribebat, quas uocat exemplum, ſed eas, quas inde exſcribere cogitabat.

142.

ETSI minimum mihi eſt in cœna] Poſtquam in literis ſatis uerſatus ſum, etſi cœnas in minimis pono; tamen, cum aliud, quod agam, non habeam, ad cœnas me confero. Iocatur autem in his uerbis, Minimum mihi eſt in cœna, referens uerba Papirij: qui cū Dioni philoſopho poſuiſſet illud ζήτημα, eſſet ne aliquid minimum; negaſſetq; Dion; (negāt enim philoſophi, quicquā eſſe in magnitudine minimum; cū tam parua magnitudo nulla ſit, quæ non diuidi queat) iocans Papirius adiecit, Mihi uero minimū eſt in cœna; cum cœnam ſibi tenuiter admodum paratam eſſe indicaret.

Ex epiſtola ultima, 143.

ET gemitum etiam in riſus maximos transfero]

Hunc

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Hunc locum alij ita, ut nos, iam ante emendarunt: ſed interpunctis aliter diſtinxerant, ut ſenſum plane alium efficerent. nos Ciceronem credimus hoc dicere. in conuiuio cum patriam ſatis luxi, à mœſtitia & gemitu uel maximam ad hilaritatem, maximoſq; riſus me conuerto.

143.

ILLE Baro] *Baro mulier fuit philoſophiæ dedita, ut ſcribit Suida. ex eo philoſophos, qui ſtolidiores eſſent, non philoſophos, quòd eo nomine uiderentur indigni, ſed Barones uocabant, ut quaſi mulierculæ per contemptum appellarentur.*

Ex epiſtola I. libri X. char. 143:

DE MEDIO *curſu*] *Ex ueteri libro ita emendauimus. ſic autem locutus eſt in fine libri III. de officijs, eadem de re loquens, ſi ipſe (inquit) ueniſſem Athenas: quod quidem eſſet factum, niſi me de medio curſu clara uoce patria reuocaſſet. item ad M. Brutum epiſtola, cuius initium eſt, Meſſallam habes. itaque in medio Achaico curſu, cum Eteſiarum diebus auſter me in Italiam retuliſſet.*

Ex epiſtola VIII. 148:

VICTORIAM *pararemus*] *Hæc lectio cum neque ſenſu careat, & in libro manuſcripto Vincentij Riccij ſit, itemq; in eo, quem Vbaldinus Bandinellus habet: (ut omittam alios) non uideo, cur quidquam immutetur. in antiquis libris tum, pararemus, tum, pateremur, tum, patiremur.*

Ex epiſtola XII. 150:

TVA *dignitas affert*] *Antea legebatur, affe-*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

rat. nos, affert, ex uetuſto libro, quem habet Ioannes Scala. eſt autem ſenſus. ita mihi detur te uictorem complecti rep. recuperata, ut mihi magnam lætitiæ partem tua dignitas, affert. uerbum complectar, qui crediderunt eſſe indicatiui modi; uocem, affert, ut ipſi putabant, emendarunt; ut ego exiſtimo, deprauarunt.

151:

BREVIA, fugacia, caduca exiſtima] In uoce fugacia, uetuſti libri diſſentiunt. alij, fugacia; alij, fugatocia; alij, fugato, habent. ego, etſi uulgata lectio ſenſu non caret, tamen libentius legerem, fucata: ut tralatio ſit à mulieribus, quarum ſæpe nitor non naturalis, ſed fucatus eſt, ideoq; breuis, & caducus. hæc (inquit) fucata exiſtima, quoniam uerum ſplendorem non habent, ſed collecta ſunt inaniſſimis ſplendoris inſignibus.

Ex epiſtola XVII. 153:

OBSIDE fide] Sic in omnibus uetuſtis exemplaribus. & dixit, fide, pro fidei, generandi caſu, quemadmodum etiam Salluſtius in Iugurtha, decima parte die reliqua, pro diei. id quod Gellius adnotauit: qui etiam C. Cæſarem, huius die, & huius ſpecie, dicendum putaſſe tradit.

153:

DE tribus fratribus Segauiano probauit.] Ita legitur in omnibus libris manuſcriptis. forte melius, S. Gauiano, ut ſignificetur Sex. Atilius Gauianus, de quo in oratione pro Sextio. ſenſus erit: In ea re (ut ſcilicet Lepidus Apellam ad me mitteret) ſtudium mihi ſuum Gellius probauit; de tribus autem fratribus,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

(quidpiam significat nobis minus notum, cuiusmodi in epistolis ad Atticum scriptis multa sunt) Sexto Gauiano. Postea in Vbaldini libro animaduerti scriptum esse, Gauiano, pro Segauiano.

Ex epistola XIX. 155.

GRAVISSIMAE, & maxime fortissimi animi, summiq; consilij] Sic habent omnes impressi libri. nos in nostro ita legi, & interpungi uoluimus: grauissimæ, & maximæ, fortissimi animi, summiq; consilij: ut animi maximæ res sint, consilij grauissimæ.

Ex epistola XX. char. 155:

ERRARE] Potuisti errare: decipi non potuisti: error enim facile in mentem irrepit, neque id cuiquam licet effugere. quoniam autem qui decipiuntur, ostendunt se minus ualere prudentia, quàm satis sit: iccirco tu, qui prudentissimus es, decipi non potuisti: & est turpius decipi, quàm errare: nam erramus ipsi, opinione lapsi; decipimur ab alio, prudentia uicti. sed quoniam, inquit Cicero, credulitas te in errorem induxit, cum sperares, Lepido te esse bono usurum, qui deinde tuam spem fefellit; eadem credulitas non iam te amplius in eundem errorem inducet: nam re expertus es, Lepidum esse infidum, neque eum recte facturum. ergo etiam erroris causa sublata iam est; ut iam non modo decipi, sed ne errare quidem possis. nisi si in eadem re iterum errare, hoc est, iterum Lepido uelles credere, homini fallacissimo, & à reip. partibus alieno. quod si committeres, magnam infamiam subires, quòd quasi ad eundem lapidem, ut dicitur, offendisses. quam culpam scis uulgari prouerbio esse reprehensam.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Ex epistola XXX. 162.

AMPLIVS *passus quingentos*] Passuum numerum; *quem alij manuscriptis in libris se non uidisse dixerunt, comperimus in libro perantiquo* Vincentij Riccij.

Ex epistola XXXI. 163:

QVANTAS *habuerim contentiones*] Antea, *conciones. nos, contentiones, emendauimus ex uetusto libro* Pauli Boti, *& ex epistola sequenti, in qua idem* Pollio *ita scribit:* Nec uero minus Lepidus ursit me *& suis, &* Antonij *literis, ut legionem trigesimam mitterem sibi.*

Ex epistola XXXII. 164.

DVXIT *se à* Gadibus] Locutio quibusdam uidetur durior: *qua tamen &* Terentius *in* Hecyra *usus est,* Vxor (*inquit*) *ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras: et* Plautus *in* Aululari*a cum dixit,* Ego me deorsum duco de arbore. *&* in Bacch. Duc te ab ædibus.

164.

SEX. Varro pro consule] Historia mihi quidem ignota. *&, ut dicam, quod sentio, mendum subesse crediderim: nam etiam librum habeo uetustissimum, in quo hæc uerba non leguntur.*

164:

CIVIS Romanus natus sum] Cum mihi Hieronymus Ferrarius Corrigiensis hunc locum se habere suspectum dixisset; *&, ut ueteres libros inspiceremus, rogasset; collatis cum impressa lectione manuscriptis libris, dictionem, natus, ita ut ipse existimauerat, abundare comperimus. quo factum est, ut eam de nostro*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

expungere ne dubitarem. hanc autem coniecturam ea ratione Ferrarius *faciebat, quòd* Ciceronem VII. *in* Verrem *libro ita locutum esse meminisset.* Ceruices *(inquit) in carcere frangebantur indignissime ciuium* Romanorum, *ut etiam illa uox, & illa imploratio,* Ciuis Romanus sum, *quæ sæpe multis in ultimis terris opem inter barbaros, & salutem tulit, ea mortem illis acerbiorem, & supplicium maturius ferret. et infra eodem libro,* Nulla uox audiebatur, *nisi hæc,* Ciuis Romanus sum, *& item paulo post sæpissime: ut sibi quisque legendo facile reperiet.*

Ex epistola XXXIII. 165.

NON *maior tamen, quam* Planco *fuit*] Hoc *dicit. sane mecum iniquissime agatur, si propter amicitiam, quæ mihi cum* Antonio *fuit, durius quidquam homines de me suspicentur; cum eundem* Antonium *non minus, quàm ego, dilexerit* Plancus; *cui tamen exercitum credidistis, ut cum* Antonio, *reliquisq; bonarum partium inimicis bellum gerat. scripsit autem hoc cum indignatione quadam, grauiter ferens, inimicum suum melius erga remp. animatum existimari. inimicitias autem inter* Asinium, *&* Plancum *fuisse, cum alij, tum* Plinius *in præfatione librorum suorum ad* Vespasianum *ostendit.*

166.

HABERE *equitum*] Sic *omnes libri manuscripti. forte legendum sit, habere equitatum, ut subaudiatur, quem antea habuerat. equitem enim in pugna nullum amiserat* Antonius. *nam etiam epistola huius libri ultima,* Equitatum, *scribit* Lepidus, *habet bene ma*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

gnum : nam omnis ex prælio integer discessit. sæpe autem, à librarijs in scribendo syllabam fuisse omissam, animaduertimus.

166.

P. VAGIENI] *Hanc lectionem in extremo olim adnotaueram, è coniectura tantum, uetustis libris nihil adiuuantibus : postea in antiquo exemplari, quod* Bernardinus Maffeus *habet, eam reperi.*

Ex epistola penultima, 166:

IMPERATOR *iterum,*] *In libro* Vincentij Riccij, *& in alijs legitur, imperator ter. id est tertium : quo modo etiam dicebatur, consul tertium. sed siue, iterum, siue, tertium, legas : mihi tamen de loci integritate certum non est. nam quod alij dicunt, in titulis, & monumentis solitos fuisse ueteres notare, quoties à militibus ob rem bene gestam imperatores essent appellati : sane id assentior : sed factum esse antequam Augustus remp. opprimeret, nondum comperi. ego, ut dicam quod conijcio, sine affirmatione tamen, mallem legere sic : imperator, pontifex max. ab antiquis literis non admodum discedens : si quidem in libro manuscripto* Petri Bembi *legitur,* Imp. *&* ter. *Idem* Vbaldino Bandinello *uidebatur.*

166.

IN *ciuibus conseruandis*] *Potius ita lego, quàm, obseruandis. nostram lectionem habet liber manuscriptus* Bernardini Maffei, *& antiquissimus alter, qui est apud* Vbaldinum Bandinellum.

166:

III. *cal. à Ponte Argenteo*] *Vitiosi sunt hoc lo-*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

co manuſcripti libri: ſed boni tamen aliquid habent ſinguli. in tribus uetuſtiſſimis legitur, IIII. cal. à ponte Argenteo: in eo, de quo mihi Vincentius Riccius commodauit, qui & ipſe perantiquus eſt, III. cal. Iunij. itaque in noſtro libro, IIII. cal. Iunij, ſcribere non dubitaui: ut ſit dies, quo ſe cum Antonio coniunxit. libro enim X. epiſtola, cuius initium eſt, Nunquam mehercule, ita ſcribit Plancus. Lepidus, deſperato aduentu meo, ſe cum Antonio coniunxit ad IIII. cal. Iun. hanc autem epiſtolam, poſt eam, quæ ſequitur, ſcriptam eſſe, nemo non uidet.

Ex epiſtola ultima, 167.

XXX.] Lineam, quam ſuper numerum duximus, olim ab aliquo fuiſſe omiſſam credimus, qui, ea quanti eſſe, ignoraret: nam in libro Vincentij Riccij ſcriptum eſt, XXX. quo modo autem nos ſcripſimus, triginta millia, ſignificatur.

167.

MEMINI autem] Sic, opinor, melius, quàm, ut antea, memini enim. quo enim ſpectabat uox illa, enim? mihi certe cum ſuperioribus cohærere poſſe non uidetur. itaque deleta, repoſui, autem, motus auctoritate uetuſtiſſimi libri, quem habet Vincentius Riccius, in quo, autem, pro enim, ſcriptum eſt. quanquam præcedens dictio mendum habet. non enim, memini, ſed maxime, in eo libro legitur. ſed nullus eſt tã antiquus liber, qui non multis locis corruptus tamen ſit. itaque uno, aut etiam altero manuſcripto libro qui ſe putant ueteres ſcriptores poſſe reſtituere, meo iudicio fallũtur. plurimis opus eſt. qui licet inquinati ſint: tamen

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ex singulis boni aliquid excerpentes, usu sæpe uenire uidemus, ut ex multis libris, qui mali sint, bonus tamen liber efficiatur unus.

Ex epistola X. libri X I. char. 172.

MALLE *me tuum iudicium*] *referuntur hæc ad id, quod dixit, exploratum habes. totum autem hunc locum ex libro* Pauli Boti, *&* Vincentij Riccij *emendauimus.*

Ex epistola XVII. 180.

QVID *defuit nostræ familiaritati in maximis rebus? quonam modo me gererem aduersus* Cæsarem, *usus tuo consilio sum*] Distinguo sic. *quid defuit nostræ familiaritati? in maximis rebus quonam modo me gererem aduersus* Cæsarem, *usus tuo consilio sum.*

Ex epistola ultima, 182:

DIGNISSIMO Cæsare] *Ita lego ex libro* Ioannis Scalæ *manuscripto. sensus hic est. munus illud & eius hominis, qui mihi amicissimus fuit, memoriæ præstare debui; & ei adolescenti, qui optimæ spei est, ac* Cæsare *dignissimus, negare non potui. in quibusdam antiquis exemplaribus legitur,* Cæsari repetenti. *quod nostram lectionem magis uidetur confirmare.*

Ex epistola I. libri X I I. char. 183.

ITA *compressum est*] Antea, *compressa est, in libris omnibus impressis. nos, compressum, ut est in libro* Vincentij Riccij, *rectius, quàm compressa, legi putauimus: ut referatur ad uerbum, manabat: antitheta enim sunt comprimere & manare: quibus etiam usus est libro ad* Atticum I I. *orationem illam ita compresseram, ut nunquam emanaturam putarem.*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Ex epistola VII. 186.

TANTA *contentione*] Corrigo, *concione*: *fidem habens* Volfango Vuerter *docto & probo adolescenti, mihiq; familiaritate coniunctissimo, qui se in antiquo libro, concione, pro contentione, legisse affirmat.*

Ex epistola XIII. 189.

NON *subita, nec incõuenientia*] *Ita legitur in libro manuscripto* Bernardini Maffei, Ioannis Scalæ, Pauli Boti, Vbaldini Bandinelli, Petri Bembi. *unus* Vincentij Riccij *habet, disconuenientia. qua uoce* Horatius *quoque usus est epistola* I. *libri* I. *Aestuat, & uitæ disconuenit ordine toto. itaque si quis, inconuenientia, non probat; disconuenientia, poterit legere.*

189.

Cui Lucilius præerat] *Appianus hunc appellat* L. Figulum. *quod cum ita sit, & cum* Figulos *non è* Lucilia *gente, sed potius è* Nigidia *fuisse compererim: libentius legerim,* Lucius, *quàm* Lucilius: *nam etiam in uetusto libro* Bernardini Maffei, *non,* Lucilius, *sed,* Lucius, *legitur.*

182.

CASTRA *habet posita* παλτῖ] *E' ueteri libro* Pauli Boti *sic emẽdauimus, figura græca in aduerbijs in loco, ut* κορυδαλλος κορυδαλλοῖ, περιβάλλιν θος περιβαλλιν θοῖ, φάλληρον φαλληροῖ, φρεάρρεοι φρεαρρεοῖ.

190.

AC ROMANI Iacride] Vetusti libri *alij aliter habent. sunt qui legendũ credant, à* Cromyu Acride. *alij,* Acamantide, *quòd in antiquo libro scriptum dicant,* Acomantide. *utraque lectio defendi potest. de*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

promontorio Acamantide Plinius, & Strabo.

Ex epistola XIIII. 190.

QVAM *re uera furere eos inueni. quòd uero ali quid de his scripsi,*] Totum hoc non erat in impressis, præterquam in uno, quem Robertus Stephanus, typographus Parisiensis diligentissimus, ediderat. *quem ego secutus, omnes illas uoces addidi septimum abhinc annum. eas nunc in uetusto libro* Vincentij Riccij *esse uideo.*

Ex epistola XVII. 195.

IN *ista solitudine*] Solitudine potius, quàm solicitudine, è tribus antiquis libris, et è sensu legendum putaui. dixit enim, solicitudine, pro summo otio: quod apertius sequenti epistola. Etsi (inquit) periniquo patiebar animo te à me digredi: tamen eo tempore me consolabar, quòd & in summum otium te ire arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotijs discedere.

Ex epistola XXII. 196.

COLLEGA *nostro*] Vetusti libri nonnulli habent, uestro: quos alij secuti sunt: qui quidem, non uideo, qua ratione ducti id fecerint: fecisse tamen arbitror non temere. sed cum in libris item manuscriptis, collega nostro, legatur; (habet autem unum ex antiquis exẽplaribus, in quibus ita scriptum sit, Petrus Bembus, habet & Bernardinus Maffeus) Antonium autem Ciceroni in auguratu collegam fuisse, notissimũ sit: priorem lectionem conseruaui, quam eo mĩnus arbitror immutandam, quòd & ad Atticum scribens, epistola penultima libri X. collegam suum appellat Antonium: inquit enim, Misit puerum, se ad me uenire: hoc qui-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

dem melius, quàm collega noſter Antonius, cuius inter lictores lectica mima portatur. & Philippica II. 181. ſume diē: uide, qui te inauguret: collegæ ſumus.

Ex epiſtola XXV. 198.

QVAM turbo deiecerat] Vide Dionem libro XXXVIII. chart. XVIII. item libro XLV. charta CVI. & Iulium Obſequentem in libro de prodigijs.

198:

QVODDAM græcum tempus ſeruitutis] Suſpicor in uoce, græcum, eſſe mendum. neque tamen excogitare quidquam ipſe potui, quod pro ea reponendum uideretur. Vbaldini autem Bandinelli coniecturā non improbo. cum enim ſatis commodum uidetur habere ſenſum, tum à ueteri ſcriptura nō admodum recedit. nam cum in libris quibuſdam antiquis, pro Græcum, ſcriptum ſit, cecum; ipſe, nihil fere præter unā literam immutans, legendum putat, necūm, id eſt neceſſarium. cecum autem in antiquo libro Vincentij Riccij ſcriptum eſt. mihi tamen & M. Antonij Mureti, iuuenis cum politioribus literis ualde eruditi, tum ſcientiarum etiam laude præſtantis, ualde placet opinio: qui putat græcam uocem deſiderari: quam librarius cum non intelligeret, in libri margine adſcripſit, Græcum. deinde alij, quaſi à Cicerone ſcriptum, receperunt.

Ex epiſtola II. libri XIII. char. 203.

SVBITVM eſt ei remigrare cal. Quint.] Calendæ (inquit) Quintiles; quo die domo tua, in quam uenerat, exeundum eſt; nimis ſubitæ ſunt, &

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

propius adsunt, quàm ut ipse possit, operibus, quæ instituit, perfectis, suo commodo discedere. sciendum autem est, annuas domorum locationes calendis Quint. apud ueteres fieri solitas. itaque epistola III. libri II. ad Q. fratrem, domus (inquit) tibi ad lucum Pisonis Liciniana conducta est: sed, ut spero, paucis mensibus post cal. Quint. in tuam commigrabis. post cal. Quint. dixit, id est finito locationis tempore, demigrantibus ijs, quibus eam locaueras. Suetonius autem in Tiberio, Senatori (inquit) latum clauum ademit, quē cognouisset sub cal. Iulij demigrasse in hortos, quo uilius post diem ædes in urbe cōduceret. quòd igitur Euandro, quem statuarium fuisse conijcimus, subitū erat, id est, propter breuitatem temporis incommodum, remigare cal. Quint. ad quam diem opera, quæ multa multis instituisset, absolui non posse intelligebat; quæ moueri loco, & alio tranferri, cum perfecta non essent, commode non poterant: petit à Memmio Tullius, ut ei de habitatione accommodet, ne cogatur cal. Quint. ut moris erat, remigrare, quod sine damno facere nō posse uidebatur. sed, ut dicam quod sentio, legendum uidetur, demigrare. in antiquo libro Vbaldini scriptum est, eius remigrare.

Ex epistola VIII. 20:

CVIVS ex filia] Antea, cuius ex familia, in omnibus impressis legebatur. nos septimum abhinc annum, filia, correximus ex oratione pro P. Sextio, in qua C. Albini filiam P. Sextio nupsisse traditur.

Ex epistola IX. 207:

RVPILIVS P. F. Men.] Diximus supra,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

ciues Romanos à tribu ostendi solitos : quæ quidem tribus plerunque in antiquis & lapidibus, et libris primæ tantum syllaba scripta legitur : itaque corruptos opinor hic esse libros, & pro Men. legendum Met. ut intelligatur Metia tribus. sed est quod magis placeat : potius enim ita legi uellem, P. Rupilius P. F. An. ut Anienſis tribus significetur : nam Vincentij Riccij liber antiquus habet, P. Rupilius P. Fannius. cuius uitij fuit hæc origo, quòd cum scriptum esset, P. F. An. imperiti, ueteres notas non intelligentes, scripserunt, P. Fannius. de tribubus autem multa diximus in VIII. epistola VIII. libri.

Ex epistola X. 207:

DEINDE ut se corroborauit] Interpretes uerbi significatū non intelligentes, alij aliter exposuerunt. dixit autem, corroborauit, pro, egressus est annos pubertatis, & uir esse cœpit, quemadmodum in oratione pro M. Cœlio. 39 : Cum is iam se corroborauisset, ac uir inter uiros esset. & in eadem 46. non modo hæc ætas, sed etiam iam corroborata, id est, non modo adolescentes, sed etiam uiri. & supra, eiusdem orationis initio 38: eos, qui non, ut Cœlij accusator, adolescentes essent, sed uiri, robustiores appellauit. alibi etiam in hāc sententiam eodem uerbo usus est.

Ex epistola XII. 209.

SED ut hanc addam] Alij aliter. nos sic emendauimus ex uetusto libro Bernardini Maffei.

Ex epistola XV. 210.

PERVSTVM, etiamnum] Cum antea legeretur, perustum & inanem, nos ex uetustis libris, &

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

è sensu olim emendauimus, perustum etiamnum. sed quoniam Vincentij Riccij liber habet, perustum immani; alij autem, perustum inanem: non absurde etiam legi posset, perustum, inani gloria uolunt incendere. quod autē dixit, & iam, uide, num legi possit, at ij me.

Ex epistola XVII. 211.

QVAM maximus postea commendatione c. a.] Etsi uetusti omnes libri ita scriptum habent: ego tamen legendum crediderim, quàm maximus potest, mea cōmendatione c. a. uel, quammaximus post mea commendatione c. a.

Ex epistola XXI. 212.

IN omni genere officij diligendus] Quid, si legatur in omni genere officij diligentiss. id est, diligentissimus? qua ratione etiam dixit in oratione pro Plancio, 232: in omni officio diligentissimus. et pro M. Cœlio, 53. uiro omnis officij diligentissimo. & pro Cluentio, 45. in omnibus officijs retinendis diligentior esse nemo potest. sed hæc eruditorum iudicio permittimus: incerta enim in re affirmare quidquam, & immutare, tum temerarium est, tum periculosum.

Ex epistola XXXVII. 219:

PVBLICE possidentur] Legem apud Calatinos fuisse crediderim, quæ caueret, ne quidquam publice, nisi publico nomine, possideretur. Hippiæ autem bona alieno nomine, ut puta cuiuspiam absentis, uel pupilli, publice possidebantur.

Ex epistola XLII. 220:

BYLLIONES] impressi libri, Belliones, habebant; manuscripti, Pylliones itaque nihil dubitan-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

dum putauimus, quin esset uera lectio, Bylliones: u enim literam pro y scribebant antiqui; & ita in uetustis libris persæpe legitur, ut Sulla pro Sylla, murrha pro myrrha, & alia huiusmodi. Bylliones populi sunt supra Epidamnum, quorum meminit Strabo lib. VII. dicti à Byllide, quæ est ciuitas in Illyrico, de qua Stephanus de urbibus.

Ex epistola L. 222.

MVLTA in illū mea; quodq; maximum est,] Hanc lectionem puriorem, & elegantiorem existimamus, quàm quæ antea in omnibus impressis habebatur. eam accipimus ex libro manuscripto Vincentij Riccij.

Ex epistola LII. 223.

CICERO regi S.] Opinor hunc Regem aliquem fuisse gentis Martiæ, cuius cognomen fuit Rex: itaque etiam Clodij sororis uir Q. Martius Rex appellatus est, auctore Plutarcho in Cæsaris uita. ad Atticum etiam, char. 12: cum dicit, ille autem Regis hæreditatem spe deuorarat, eum, quem diximus. Q. Martium Regem intelligit.

Ex epistola IIII. libri XIIII. char. 235.

PRAETEREA magnopere nemo cæterorum seruorum. ea causa est, &c.] Sic antea in libris impressis. ego distinctione tantum locum restituo, ut ita legatur. præterea magnopere nemo. cæterorum seruorum ea causa est, ut si res &c. quoniam autem non ita apertus uidetur sensus, pluribus uerbis exponemus. Cicero ueritus amissionem seruorum cum tota re, manumisit eos hac conditione, ut, si per legem Clodiam bonis

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

omnibus priuandus esset, ij suo beneficio liberti essent, si modo id per Clodium licuisset: sin autem lex seruos non adimeret, &, ut ad ueterem dominum pertinerent, concederet; seruirent, ut antea, præterquam pauci, quos benemeritos omnino liberos uellet. dixit autem, cæterorum seruorum, intelligens suos: nam ex Terentiæ seruis neminem manumiserat: tantum ijs, eam factúram esse, ut quisque esset meritus, promiserat.

Ex epistola VI. 136:

POLLICEM] Antea, Pollucem: nos septimum abhinc annum emendauimus, Pollicem, ex uetustis libris, & lib. XIII. ad Atticum: quo in lib. circa finem ita scribit. Pollex quidem, ut dixerat, ad idus Sext. ita mihi Lanuuij pridie iduum præsto fuit, sed plane pollex, non index.

Ex epistola VII. 236:

ID EST Apollini, & Aesculapio] Hoc totum suspicor in margine ab aliquo fuisse scriptum, qui uellet nomen eius dei ponere, quem Cicero significat. deinde qui librũ exscripserunt, Ciceronis uerba falso existimantes, receperunt in ordinẽ uerborũ quod glossematis uice fuit. nihil tamen immutaui, quando manuscripti libri, ut impressum est, omnes habent.

Ex epistola I. libri XV. char. 240:

A' TARCONDIMOTO] Sic habent uetusti libri: à quibus, nõ uideo, cur hoc in loco dissentiendũ sit: præsertim cum et Dion in fine lib. XLI. & L. Florus initio belli ciuilis inter Cæsarem, & Pompeium gesti, Tarcondimotum eum appellent: mendose enim in Floro, Tarcon Himotus, duabus uocibus impressum est,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

eſt, cum in libro manuſcripto una ſit.

240:

CONSVETVDINEM] *Putat legendum eſſe* Hieronymus Ferrarius, *manſuetudinem: quod etiam* 243: *quæ copijs, dixit, & opibus tenere uix poſſumus, ea manſuetudine, & continentia teneamus. ad Atticum* 78. *Socijs incredibilis uidetur & noſtra manſuetudo, & abſtinentia.*

Ex epiſtola III. 244.

PRAESENTIA, *magnitudine & animi, & conſilij*] *Eſt hæc, ut opinor, huius loci uera lectio: quam ex antiquis exemplaribus accepimus: quibus in omnibus, quos quidem ipſe uiderim, præſentia, legitur, non præſtanti, aut præſenti. nos autem ueterum librorum auctoritatem in pluris pluriſq; facimus: permulta enim, quæ in ijs primo intuitu uideantur abſurda; poſt, ubi, diligentius animaduerteris, commodiſſime dicta reperientur: ut hoc in loco, qui ſtatim, uerbum illud, præſentia, quid ſibi uellet, aut quò ſpectaret, non perceperunt, uitioſum credentes, immutarunt: eſt enim ita dictum, præſentia, magnitudine, & animi, & conſilij, tanquam ſi dixiſſet, præſenti animo, magno conſilio; ut præſentiam animi, magnitudinem conſilij eſſe uoluerit: quemadmodum etiam alibi, præſentem animum, ſæpiſſime dixit: etſi ubique fere eandem uocem imperiti deprauarunt, præſtantem, non præſentem, legentes. præſentiam quoque animi dixit in oratione pro* Milone 113. *et* Cæſar *belli* Gallici *lib.* V. 59:

244:

SACERDOS] *Quid ſacerdos hic ſignificet,*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Hirtij uerbis oſtendimus: ſic enim ſcribit de bello Alexandrino lib. IIII. 215: Comana, uetuſtiſſimum, et ſanctiſſimum in Cappadocia Bellonæ templum, quod tanta religione colitur, ut ſacerdos eius deæ, maieſtate, imperio, et potentia ſecundus à rege conſenſu gentis illius habeatur; id homini nobiliſſimo Nicomedi Bithynio adiudicauit. Appianus autem in fine Mithridatici, Commagenis, inquit, Archelaum ſacerdotem præfecit, quæ dignitas habetur regia. Strabo etiam initio libri XII. idem tradit.

244:

ADOLESCENS & equitatu, & peditatu, et pecunia paratus, & toto, ijs, qui nouari aliquid uolebant] Sunt, quos offendat hæc lectio. ac fuit, cum ego quoque corruptum locum exiſtimarem. nunc de mendo nihil ſuſpicor: dixit enim, & toto, id eſt, & ea re, quæ ſumma eſt: deinde expoſuit, totum illud quid ſit: ijs, qui nouari aliquid uolebant: à quibus maxime timendum erat, quòd adoleſcentem uel leuibus rationibus ad bellum poſſent impellere. adoleſcens, igitur dixit, & equitatu, & peditatu, & pecunia paratus, et, quod ſummum eſt, ijs, qui nouari aliquid uolebant. ſic etiam ad Atticum, 80. Eſt totum, quid cal. Mart. futurum ſit, pro, eſt ſummum, eſt maximum, in eo ſunt omnia, quid cal. Mart. futurum ſit.

245:

TIBARANI] Forte, Tibareni, de quibus Plutarchus in Lucullo, & Plinius, ubi Temiſcyræ regionis gentes perſequitur: nam Tibaranorum mentionem nondum inueni.

RES,

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

246.

RES, *quas consul in urbe gessisset*] In quo ita legatur, uetustum habet librum magnæ spei adolescens Iosephus Tramezinus. Consul autem, id est Cicero: commemorantur enim, quæ pro Ciceronis dignitate & dixerat, & fecerat Cato. quis sit autem is, quem clarissimum, atque optimum uirum appellat, intelligere nondum potui. Cæsarem quidem, ut alij existimant, non arbitror: quem Cicero nunquam optimum uirum uocasset, ad Catonem scribens, Cæsaris inimicum, præsertim cum tota fere epistola eius beneuolentiam quasi aucupari uideatur, quo facilius supplicationem obtineret Catone comprobante.

253:

CVM *hæc te tertia iam epistola ante oppressit,*] Alij, ante operis sit, durius omnino, & sensu, ut ego existimo, non admodum probabili. quid enim? adeo longa est hæc epistola, ut opus uideri possit? nam quòd illas dictiones, schedam aut literam, epistolarum numero respondere negant: id ego illis concedo: sed referri dico ad illam uocem, epistola: ut quasi Cassium reprehendat, qui schedam aut literam nondum dederit, cum epistolas iam tres acceperit. legitur autem, ut nos impressimus, cum in alijs libris manuscriptis, tum in eo, quem habet Vincentius Riccius: qui quidem liber uetustissimus est; ut græcas dictiones, quæ sunt in uetustis exemplaribus perquam raro, maiusculis literis scriptis habeat.

Ex epistola XVI. 253.

QVO'D *uelis ipsa currunt*] Fuit, cum de men-

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

do ſuſpicarer: nunc de loci integritate non dubito: cum & ueteres libri cum impreſſis fere omnes conſentiant, et, currere uelis, Latine atque uſitate dici conſtet. exemplis, quia patent, abſtinebo. Vincentij Riccij liber hoc in loco etſi deprauatus, ab alijs tamen diuerſus eſt: habet enim, quod in his incurrat. Florentini emẽdarunt, quod uel ijs ipſa occurrunt. quam lectionem etſi laudamus, ut ingenioſe excogitatam, non tamen ſequimur, neque ſatis ei cõfidendum credimus, cum à uetuſtis libris, etiam quos ipſi habuerunt, diſcrepet. nam quòd Germanos pro, currunt, occurrunt, impreſſiſſe dicunt: id ego eos feciſſe tantum modo coniectura ductos facile crediderim: non enim hic ſolum, ſed in reliquis etiam Ciceronis ſcriptis multa eos arbitratu ſuo uideo mutaſſe.

Ex epiſtola XIX. 254:

Hᶜ ΔΟΝΗΝ uero, & αὐαλγησίαν] Robertus Stephanus Pariſienſis hanc uocem, αὐαλγησίαν; ubi legebatur, διαξίαν; in ſuo libro impreſſerat. quæ uox ſenſum cum haberet meliorẽ, quàm uulgata illa prior: ipſe item in meo libro ſeptimum abhinc annum eam impreſſi, exiſtimans, Robertum, ſi quid immutaſſet, id feciſſe librorum antiquorum auctoritate teſtimonioq; adductum. alij poſtea non abſurde emendarunt, ἀταραξίαν: etſi uetuſti libri repugnent. unus tamen Vincentij Riccij liber habet, ἀταξίαν.

254:

HABET damnatos, quos pro illo nobis reſtituat] Lege Pompeia damnatos Cæſar reſtituerat. eos nunc latenter ſignificat, cum tamen de ijs loqui uideatur, qui ad ſectiones faciendas Syllæ mortuo eſſent ſurrogandi.

Ex

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Ex epistola penultima, 255.

AD *amorem meum aliquantulum discedens addisti*] Antea legebatur, *aliquantum olim. nos, cum in libris manuscriptis &, aliquantulum olim, &, aliquantum olim, legeremus: aliquantulum, emendare non dubitauimus. neque enim, ut opinor, habere locum hic potest uox illa, olim; cum ex ipsa epistola,* Trebonium *non multo ante* Roma *profectum esse, colligatur. atque etiã sensus erit commodior, si, aliquantulum, quàm si aliquantum olim, legas; ut ostendatur,* Ciceronis *amorem erga* Trebonium *summum, et maximum iam fuisse, cui quamminimum addi potuerit.*

Ex epistola IX. 259.

CASSIOPEN] Antea, *Cassoden. nos ex* Plinio, *&* Strabone *Cassiopen restituimus.*

Ex epistola X. 260.

FVERVNT *omnino. et ipse*] *Distinctionem mutauimus: ut legatur, fuerunt. omnino & ipse.*

Ex epistola XXIIII. 266.

ACCVRRAM. *sed s.*] *In uetustioribus libris scriptum est, sed si. ego arbitror legendum, sed st. quam silentij notam qui non agnouere, scripserunt, si. deinde alius cum uideret, si, locum hic habere non posse, fecit, s. id est scilicet. sic etiam in de oratore lib.* II. *pro, st, scriptum erat, si. quod mendum* VII. *abhinc annum sustulimus. in* Plauto *etiam, ubi legendum est, st, modo si, modo ast, modo at, uulgo legitur.* Terentius *quoque in* Phormione *hac nota usus est: quem locus citat* Velius Longus, *grammaticus.*

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

DOLABELLAE *procuratores fac ut admoneantur.*] *Verbum, admoneantur, ad pecuniam refertur, quam* Dolabella Ciceroni *debebat: itaque intulit, appellabis etiam* Papiam: *quod item creditorũ uerbum eſt.* Pro Quintio, 7. *Cum tibi quotidie poteſtas hominis fuiſſet admonendi, uerbum nullum facis: biennio iam confecto fere, appellas. Quod præcedit, in antiquo libro* V baldini *ſcriptum eſt, ſeu quod elegerunt: in eo, quem habet* Petrus Bembus, *quod elegerint.*

Ex epiſtola ultima, 267.

QVIBVS *alteri* Ceſenam,] *Locus ſine dubio corruptus. neque enim adeo tum ignobilis, aut obſcura fuit* Ceſena, *ut, tanquam abiecta res, nominari debuerit. uetus liber* Vincentij Riccij *ſic habet, quibus geſa, uel quibus ſutianarum tabernarum fundamenta credas. deliberent eruditi, quo modo ſit legendum.* Liuius *quidem libro* IX. *de* Ceſennia *meminit, oppido non admodum celebri: ut fortaſſe non inepte pro,* Ceſenam, Ceſenniam, *hic legi poſſit. antiquus liber è* Cypro, Ceſenam.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

INDEX.

AOASTVS 236. 256. 262. 262
Accius 110. 136. 136.
Achaicum negocium 48
Achaia 214. 215. 216. 231. 252
Achilles 68. 152
Acidinus 56
Acilius 109
Acromaniacride 190
Actium 259
Aegina 50
Aegypta 262. 262
Aegyptus 7. 192. 185. 188
Aelius 105
Aemilia 162
Aemilius 203
Aemilius Philemon 104
Aemilius Auianus 212. 215
Aesculapius 236
Aesopus 94. 95
Afranius 2. 261. 132. 138
Africa 11. 52. 90. 91. 174. 179. 196. 199. 205. 252
Africanus 139
Agamemnon 133
Agesilaus 68
Agusius 229
Aiax 152
Alabandenses 224
Albinus 206, 207
Alesina ciuitas 218
Alexander 23. 68. 68. 145
Alexandria 7
Alyzia 257
Allienus 188
Allobroges 152. 173. 174
Alsiensis ager 128
Amanus 23. 116. 193. 244. 244. 245
Amasanj 254
Ampia 89
Ampius Balbus 229
Ampius Menandrus 229
Ampius 4
Ammonius 2
Ancona 261
Anchialus 221
Andricus 262
Andros 228
Antius 107. 196
Anneius M. 224. 225. 243. 245.
Anneius Cn. 199
Antherus 265
Antigonus 218
Antiochia 28. 190. 193. 244
Antiochus 130
Antiochus Commagenus 240. 243. 244
Antipater 230
Antistius 217
Antonij 26. 114
Antonius 34. 110. 123. 146. 150. 152. 153. 154. 155. 157. 157. 159. 161. 161. 162. 162. 163. 164. 165. 166. 166. 167. 167. 171. 172. 172. 173. 173. 174. 174. 175. 176. 177. 178. 185. 187. 188. 191. 196. 197. 197. 198. 260. 266

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Antonius M. 79. 139. 143 152
Antonius L. 152. 166. 166
Apamea 28. 188. 243
Apelles 13. 68
Apollonia 217
Apollonius 210
Apollo 236
Appella 107. 153
Appenninus 172. 174
Appius 10. 14. 17. 24. 26. 115. 115. 116. 122. 123 125. 178
Appius minor 117
Apulia 17
Apuleia 89
Aquinum 141. 266
Arabes 120. 244
Archagathus 218
Areopagitæ 203
Ariminum 114. 125. 261
Argenteus pons 166
Argenteus fluuius 166
Ariarathes 242
Ariſtarchus 44. 131
Ariſto 29
Ariſtippus 143
Ariſtoteles 223
Ariſtocritus 234. 234
Ariobarzanes 29. 242. 243. 244. 247
Armaſdes 241
Armenia 134
Armenij 243
Arpinas 105
Arpinates 208
Arpinas fundus 237
Arretium 261
Arſaces 123
Aruntius 104
Aſclapo 259
Aſclapo Patrenſis 217
Aſia 20. 50. 83. 186. 187. 188. 189. 190. 190. 191. 192. 193. 194. 221. 228. 229. 241. 244. 252
Aſtura 92
Atellanum municipium 205
Atellanus 136
Athenaides 244
Athenæus 244
Athenæ 130. 136. 194. 202. 202. 236
Athenienſes 14. 56
Athenodorus 36
Atilius 226
Ateius C. Capito 216. 217. 217
Ateius L. Capito 117. 117
Atticus Pomponius 87. 108. 109. 116. 126. 128. 142. 182. 201. 211. 212. 213. 253. 266
Atticus Dionyſius 201
Aufidius Sex. 199
Auianus 105. 106
Auianus C. Euandrus 203
Auianus Ammonius 213. 215
Auianus Philoxenus 219
Auianus Flaccus 230. 232
Aurelia 140
Aurelius 266
Aurelius L. 220
Aurelius C. 220
Baiæ 127. 129. 132
Balbus 86. 89. 92. 92. 98.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

98. 98. 99. 99. 102. 104. 128. 137. 138. 164. 165. 266
Balbus Cornelius 119. 121
Baro 143
Bargyletæ 224
Baſſus 105
Baſſus Cæcilius 168
Baulæ 112
Bellienus 124
Bellonaci 112
Bibulus 2. 3. 4. 11. 12. 23. 23. 28. 28. 29. 31. 116. 196. 240. 240. 241. 243. 244
Bithynia 189. 207. 217
Bithynicus 266
Bylliones 220
Bœotia 55
Bona Dea 11
Bononia 173. 185
Bolanus 231. 231
Britania 99. 100. 103 253
Bogud 164
Brutius 219. 264. 265
Brunduſium 174. 179. 180. 197. 198. 208. 222. 235. 235. 237. 254. 255. 259
Brutus 25. 43. 84. 85. 150. 153. 154. 154. 160. 166. 174. 179. 183. 185. 186. 186. 187. 190. 191. 191. 252. 255
Brutus D. 116. 161. 183. 185. 186
Brutus M. 32. 35. 105. 133. 176
Burſa 96
Buthrotum 257
Cæcina 87. 160. 227
Cæcilius Metellus 117. 117
Cæcilius Baſſus 188. 188. 195
Cæpio 105
Cæparius 141
Cæſar puer 161. 171
Cæſar adoleſcens 282
Cæſar 8. 10. 11. 11. 12. 12. 13. 14. 14. 15. 16. 25. 26. 46. 47. 48. 49. 56. 66. 66. 83. 84. 84. 85. 86. 87. 89. 90. 92. 99. 100. 101. 102. 103. 106. 108. 111. 112. 113. 115. 116. 120. 120. 121. 121. 123. 124. 124. 125. 130. 131. 131. 132. 135. 158. 158. 159. 159. 162. 163. 165. 168. 169. 169. 171. 172. 173. 174. 176. 177. 177. 179. 180. 180. 181. 182. 183. 184. 184. 194. 195. 195. 208. 212. 217. 217. 219. 219. 223. 228. 232. 237. 237. 238. 239. 240. 252. 253. 254. 255. 260. 260. 261. 261. 263
Cæſar Octauianus 197. 198
Cæſar C. 114. 118. 118. 119. 119. 164. 203. 204. 206. 207
Cæſar L. 129. 133. 161. 184. 185
Cæſena 267

Cæſius

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Cæsius 208.209
Calidius 119
Callisthenes 67
Calpes 164
Caluisius 160.160.198
Caluus 256
Caluus Licinius 106
Camillus 139. 236.238
Camillus C. 75
Campanus ager 11. 177
Canidij 156
Caninius tr. pl. 3. 3. 4. 109. 126. 127. 129
Canutius 197
Capennas ager 137
Capius 106
Cappadocia 240. 241. 241. 243. 244. 244. 247
Capua 260. 261
Carbones 139
Carbo C. 139
Carbo Cn. 139
Carbo M. 139
Carbo P. 139
Caria 24
Carsulenus 165
Carteius 188
Cassius 23. 84. 106. 111. 189. 190. 190. 191. 191. 205
Cassij 26
Cassius C. 120. 193. 193.
Cassius Q. 260
Castronius Paetus 209
Castope 259
Castrinius Paetus 113
Castulonensis saltus 163
Catij 254
Catina 218
Catilius 66
Catinius Vestinus 157
Catius Insuber Epicureus 253. 254
Cato 3. 4. 4. 5. 5. 14. 107. 121. 125. 138
Cato 51
Catulus 134
Caunij 224
Ceminoris 244
Cennius 235
Cerellia 229. 230
Cherippus 197. 201
Chilo 93
Chrestus 22
Chrisippus Vectius 102
Cicero 232. 235. 237. 237. 238. 261. 263
Cicerones pueri 28
Cilicia 7. 17. 29. 30. 118. 189. 193. 209. 210. 225. 240. 241. 242. 243. 244. 244. 245. 228
Cilix 30
Cimber Tullius 89
Cineas 142
Cybira 213
Cybiratæ 114. 119
Cybistra 241. 242. 244. 244
Cyprij 222
Cyprus 7. 189. 190. 193. 247
Cyrus 102
Cyteris 143
Cyzicum 245
Claterna 185
Claudia 60
Claudius M. 113

Clitarchus

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Clitarchus 23
Clodius 7. 38. 96
Clodius C. 218
Clodius Philæterus 235
Clodius L. 32. 32. 33. 34
Clodius M. 218
Cluuius Puteolanus 224. 225
Cneus 254
Cælius C. 26
Cælius M. 41
Cælius Vicinianus 114
Commagenes 120
Conſidius Gallus 199
Conſidius Nonianus 261
Connus 140
Corcyra 58. 217. 257. 259. 259
Corduba 163
Corinthus 50. 99. 137
Cornelia 63
Cornelius 99
Cornelius Cn. 100
Cornelius P. 118. 205. 209. 219
Cornelius 63. 103
Cornificius Q. 116. 198
Cornutus 151. 153
Corycum 189
Coßinius 213. 213
Coſſutianæ tabernæ 267
Coſtius 128
Cotta 184
Crabra 263
Craßi 134
Craßipedes 8. 15
Craſſus 2. 11. 14. 15. 15. 63. 233
Craſſus L. 139
Craſſus M. 65
Craſſus P. 65. 200. 210
Cratippus 194. 264. 265
Criſpus 188. 188
Culleo 167
Cumanum 46. 126. 128. 130. 196. 262.
Cumæ 111
Cures 255
Curio 25. 26. 112. 113. 114. 115. 115. 116. 118. 119. 120. 121. 121. 122. 123. 125. 252. 260.
Curius 30. 256. 258. 258. 259. 260
Curius M. 211. 211. 222
Curtius 27
Curtius C. 204
Curtius C. Mithres 228
Curtius Q. 92
Curſor 239
Cuſpius 263
Cuſpius P. 205. 205
Cuſtidius 225
Dalmatia 65. 66. 66
Damaſippus 105. 106. 139
Dardanus 160
Darius 23
Decius 63. 106
Deiotarus rex 24. 120. 132. 241. 241. 244. 244. 247
Demetrius 124. 263. 264. 265
Demetrius Mega 219. 219
Democritus 253
Democritus Sicyonius 231
Demoſtratus 218

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Dertona 173
Dexippus 234. 234
Diodorus 127. 210
Diogenes 24
Diogenes 118
Dio 142
Dionysius 65. 66. 137. 198. 231
Dyrrhachium 233. 234
Dolabella 25. 26. 27. 88. 92. 111. 111. 115. 115. 116. 129. 132. 136. 183. 185. 186. 187. 188. 189. 189. 190. 190. 190. 191. 191. 192. 192. 193. 193. 219. 219. 237. 239. 261. 266
Dolabella P. 113
Domitij 93. 121
Domitius 112. 124. 261
Domitius L. 117. 122. 122. 123
Duillius 139
Drusus 123. 176
Edui 100
Egnatius 221. 221. 222. 230. 230
Elis 214
Emplatorius 8
Epaminondas 68
Epicrates 265
Epicurus 202
Epidaurus 55
Epirus 232. 234
Epiphaneæ 244. 245
Eporædia 278
Erana 245
Eros Turius 199
Etruria 84. 172
Euphrates 120. 240. 240. 243
Euripides 159
Eusebes 142
Euthydemus 224
Fabatus 165
Fabius M. 25. 142. 142. 225. 251
Fabius Q. 31. 32. 142
Fabius Q. Virgilianus 32
Fabius Sex. 105
Fadius 164
Fabrateria 141
Fatidius 119
Faucius Q. F. 203
Fauonius 119. 121
Flaccus 43
Flaccus 32
Flaccus Volumnius 173
Flaccus Auianus 219
Flamma 266
Flauius C. 218
Flauius L. 218
Formiæ 125. 239. 261
Formianum 179. 261. 262
Forum Iulij 152. 153
Forum Cornelium 185
Forum Gallorum 162. 162
Forum Voconij 153
Forum Vocontium 166
Frater Q. 12. 16. 17. 26. 62. 99. 99. 103. 160. 226. 232. 245. 245
Fregellanus ager 231
Furfanius Postumius 86
Furius 98

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Tuffidius 208. Q.F. 209
Turnius 120. 144. 144. 145. 146. 149. 150. 158. 159. 252
Furnius C. 146. 148
Tuſius Q. 63
Tuſius A. 203
Cabinius 15. 117
Cades 164. 165
Cabinius 200
Calba 176
Gallia 114. 156. 165. 179. 185. 205. 208
Callia citerior 145
Galliæ prouinciæ 112
Galliæ 115. 117
Gallia ulterior 261
Galli 160
Gallinaria 141
Callus 51
Callus Caninius 22. 95
Callus Cornelius 165
Cargettius 253
Cellius 153
Gorgias 265
Græcia 108. 109. 143. 185. 198. 216
Genucilius Curuus 223. 223
Græci 227. 231
Græceius 171. 173. 173
Granj 134
Hageſaretus 214
Harpalus 266
Hector 69. 248
Helethes 105
Helleſpontus 223
Herculanenſis fundus 142
Heracleotæ 224
Herennius Gallus 164
Hermia 262. 262
Herodotus 68
Heſiodus 92
Hilarius 218
Hippia 219
Hippius 231
Hirtius 89. 110. 128. 136. 139. 156. 161. 162. 162. 165. 166. 167. 168. 171. 173. 185. 191. 196. 199. 266
Hirrus 112. 113. 114. 119. 121.
Hiſpalus 164
Hiſpania 83. 91. 106. 125. 125. 130. 132. 159. 210. 253. 254. 254. 255. 261
Hiſpania citerior 12
Hiſpaniæ 46
Hiſpo 232
Hydruas 259
Hypſæus 2
Homerus 44. 68. 152
Horatius 201
Hortenſius 2. 3. 5. 6. 27. 112. 123
Iamblicus Philarchus 240
Iconium 244
Inalpini 169
Intemelij 124
Iſara 152. 154. 155. 157. 174
Iſauri 241
Iſſus 23
Italia 12. 55. 124. 130. 153. 165. 168. 171. 174. 177. 178. 182. 185. 185. 187

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Noſtius Zoilus 221
Nouocomenſes 219
Ocella 26. 116
Octauianus 165. 166
Octauianus 266
Octauius M. Cn. F. 32. 112. 113
Octauius Cn. 100. 102
Oenomanus 136. 136
Offilius 266
Oppius 27. 86. 89. 92. 128
Oppia 216
Oppius M. 117. 117
Oppius L. M. F. 221. 221
Oppius L. 230. 230
Oreſtilla 116
Orodes 240
Orpheus 235
Oſtia 128
Otacilius 218
Otho 263
Pacorus 240
Παχτος 189
Pamphilia 119. 193
Panſa 89. 101. 162. 163. 164. 165. 166. 170. 171. 173. 185. 186. 191. 196. 198. 199. 201. 253. 254
Paphij 222
Papia 266
Papirius Craſſus 139
Papirius Curſor 139
Papirius Mugillanus 139
Papiſij 139
Parma 166. 185
Pariana ciuitas 223
Parthi 115. 120. 196. 240. 241. 243. 244. 245. 248
Patiſcus 24. 92. 119. 190. 192
Patræ 108. 211. 222. 256. 257. 259
Patro 222
Paulus 114. 176. 125. 217
Paula Valeria 116
Paulus L. 5. 117
Pauſania 35. 116
Pauſanias Alabandenſis 227
Peduceius C. 165
Peduceius Sex. 123
Pelopidæ 108. 109
Peloponneſus 108
Perga 191. 193
Petreius 261
Petrinum 92
Phædrus 202
Phamea 106
Phania 25. 30. 31. 33. 34
Pharnaces 252
Pheræus 140
Phileros 133
Philippus 11. 185
Philo 24. 118. 130. 202. 218
Philoctetes 110
Philotimus 46. 113. 239. 240
Philippus Lacedæmonius 116
Philomelus 243. 220
Philoromæus 242
Philotes Alabandenſis 224
Pinarius 198
Pindeniſſus 245
Pindenium 23
Pinnius 226
Pilius 116
Pirrhus 142

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Piſaurum 261
Piſo Frugi 140
Piſo L. 49
Piræeus 50. 55
Piſo C. 218
Piſo 183. 185. 232. 233. 234. 235. 238
Plancius A. 217
Plancius Cn. 92. 259
Plancus 112. 156. 157. 160. 165. 172. 173. 174. 175. 179. 186. 232
Plancus Burſa 131
Plancus T. 195
Planius 132
Plato 12. 14. 254
Plautus 135
Pollæ 122. 171
Pollex 236
Pollentia 174
Pollio 142
Pollio Aſinius 172. 173
Polybius 61
Pompeia 66
Pompeianum 96. 196
Pompeius 2. 5. 6. 8. 9. 11. 22. 25. 26. 83. 84. 91. 92. 95. 98. 112. 115. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 130. 132. 137. 139. 180. 182. 190. 220. 230. 232. 233. 236. 237. 238. 239. 260. 261. 262
Pompeius Cn. 12. 13. 15. 32. 36. 40. 42. 43. 52. 60. 75. 76. 114. 117. 120. 121. 122. 124. 118. 119. 225
Pompeius Q. 112
Pompeius Q. Sex. F. 222
Pompeius Sex. 168
Pomponius Atticus 62. 130. 202
Pontius Aquila 166
Pontinius 26. 40 32. 245.
Pontinum 104
Poſtumia 46. 47
Poſtumulenus 87
Poſtumius 55. 89
Præcilius 209. 210
Prætiana hereditas 236
Protogenes 95
Ptolemais 7
Ptolemæus 7
Pupius Cn. 207
Racilius L. 6
Rauenna 91. 93. 94. 112
Regium Lep. 185
Regulus L. 225
Rhegium 104. 117. 172. 198
Rhodij 190. 192
Rhodus 28. 53. 149. 150. 166. 168. 180. 192. 193
Roma 10. 53. 100. 111. 126. 127. 131. 134. 138. 149. 164. 168. 169. 170. 171. 173. 178. 180. 182. 185. 191. 200. 202. 209. 212. 214. 216. 217. 230. 236. 239. 250. 255. 259. 261
Roſcius 140
Rubria 139

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Rufio 104
Rubellinus C. 199
Rufreni 156
Rufus 141. 238
Rullus 116
Rupa 18
Rupilius 207
Sabinus 255. 263
Saluſtius 235. 237
Salacon 107
Saluius 131
Salaſſus 92
Samarobrina 101. 102
Sardiani 224. 225
Sardinia 11. 129. 179
Saturius 123. 199
Scapula 132
Scæuola 33. 105
Scæuola Q. 17
Scaurus M. 13
Scipio 119. 137
Scipiones 121
Scribonius C. 117
Segauianus 133
Seianum 94
Seius 129
Seius Cn. 171
Seleuſia 123
Seliciana uilla 137
Selicius Q. 5
Selius 110
Sempronius C. Rufus 116
Sempronius 197. 198. 199
Sempronius L. Atratinus 139
Sepira 245
Septimius C. T. F. Quirina 117
Seruilius 2. 153. 179. 266
Seruilius M. 116. 117. 186
Seruilius P. 183
Seruilius L. Poſtumus 199
Seruilius Q. 40. 43. 44
Seruilius Sex. 66
Seruius 46. 47. 48. 49. 51. 81. 105. 113. 120. 122. 135. 161. 171. 215
Sextius 65. 82
Sextius P. 11. 73. 76. 107. 206. 207
Sextius L. 206
Sextilius Rufus 190
Sica 235. 238
Sicilia 86. 129. 218. 232
Silanus 162. 167
Silius 135
Silius P. 105
Sinueſſanum 196
Syracuſæ 136. 137
Socrates 140
Sophia 131
Soſæ 218
Spurina 141
Stabianum 94
Statillienſium fines 123
Statius 263
Strabo Seruilius 227
Stratorius 197. 201
Suberinus 132
Sulpicius 31. 84. 108. 109. 117. 184. 185. 192
Sura 66
Sycion 213
Syda 193
Sylla 43. 254
Sylla P. 131. 253
Synnades 243
Syria 28. 134. 185. 188. 190.

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

190. 191. 192. 193. 194. 195. 225. 240. 241. 242. 243. 244
Syro 88
Tarentum 101. 180
Tarracina 106
Tarcondimotus 240
Tarsus 28
Tarsenses 189
Taurus 198. 240. 241
Terentia 63. 130. 259. 261
Terentius M. 207
Terentius M. Hispo 227
Tertia 265
Themistocles 68
Theophilus 54. 55
Theophrastus 263
Thespiæ 213
Thessalonica 234
Theuda 87
Thereus 256
Thermus 28
Thraso 21
Tibarani 245
Tigellius 106
Timæus 67. 68
Timoleon 68
Tiro 109. 263
Titius P. 151
Titius C. Strabo 186
Titius 101. 156
Titius C. 193
Titurnia familia 220
Titurnius Rufus 220
Trabeas 139
Trebatius 179. 180. 181. 182
Trebatius 238
Trebellius 174
Trebonius C. 3
Trebonius A. 188. 191. 192
Trebulanus ager 180
Treuiri 102
Triarius 116
Tutius 116
Tullia 26. 27. 44. 49. 92. 106. 112. 239. 261. 263
Tulliola 236. 237. 238
Tullius Cimber 189
Tullius L. 245
Tullius 44
Tullius M. scriba 74
Turdi 139
Turpilia 105
Turius Q. 199
Turullius 189. 190
Tusculanum 100. 107. 126. 128. 137. 239. 263
Tyba 240
Vada 172. 174
Vacerra 96. 100
Vagienus 166
Valeria tabula 233
Valerius L. 31
Valerius 75. 201
Valerius P. 233
Valgius Hippianus 231
Varisidius 147. 151
Varro 35. 130. 172
Varro M. 132. 207
Varro Sex. 164
Varro Murena 213
Varro A. 261
Vatinius 10. 11. 14. 15

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Veicetini 136
Veiens Ager 137
Velia 104
Velienſes 105
Ventidius 153. 154. 166. 167. 172. 174
Vennonius 230
Venuleius 201
Vercellæ 176
Verrius 138. 142. 191
Veſta 233
Veſtorius 88. 116
Vibius T. 173
Vibius C. Panſa 118
Vicinius 118
Vienna 149
Vibulius 11
Villius Annalis 117
Virginius 30
Vlolius 131
Vlubræ 104
Vlyſſes 17
Volcatius 2. 3. 4. 49. 209
Volaterrani 203. 204
Volumnia 238
Vocontij 157
Volumnius 190. 176
Volumnius Eutrapelus 142. 143
Voluſius 75
Voluſius Q. 66
Voluſius M. 261
Xenomenes 256
Xenophon 68
Zeno 140
Zetus 134

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

SERIES CHARTARVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
A A B B C C D D E E F F G G H H I I K K
L L M M N N O O P P Q Q R R S S.

Omnes quaterniones, præter S S, *qui eſt duernio.*

VENETIIS,
APVD PAVLVM MANVTIVM,
ALDI F. M. D. LVI.

Cal. Octobr.
M. D. LVI
Emp. Venetijs

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010



UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

3 2
prachtvoller
Aldus Druck
1556
5141 V

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

UNIVERSIDAD DE HUELVA 2010

Ciceronis
Epist. ad Fam
Edit. Aldin
1550

FA
XVI
A 1
2

UNIVERSIDAD DE